


PHYSIOGNOMONIA IESVITICA

Variis opuſculis,
Diſcurſibus,
Characteribus,
Epigrammatibus





expreſſa

Studio & opera

PETRI DE WANGEN.

Ex Bibliotheca M. Sti Bernardi Fontanensis cong. Fuliensis.





LVGDVNI,

Anno Chriſti CIↃ IↃCXI.


PHYSIOGNO-MONIA IE-SVITICA

Variis opusculis,
Discursibus,
Characteribus,
Epigrammatibus
expressa

Studio & opera
PETRI DE WANGEN.




LVGDVNI,
Anno Christi CIↃ IↃC X.



SYLLABVS OPVSCVLORVM HOC VOLVMINE CONTENTORUM.

)(2






BRE-

BREVE COLLOQVIVM IESVITICVM, TOTI ORBI CHRISTIANO,

ad rectè cognoscendam, hactenus non satis perspectam Iesuitarum religionem, vtilissimum: habitum à sacræ Theologiæ Doctore & Professore, PAVLO FLORENIO, *cum* CHRISTIANO FRANCKEN *Philosophiæ professore in Cæsareo Iesuitarum Gymnasio Viennæ,* *Anno* 1578. XX. *Ianuarii.*


A



SINGVLARI VIRO, PAVLO FLORENIO, SACRÆ THEOLOGIÆ DOCTORI,

atq; omnium humanarum præstantia scientiarum ornatissimo,

Christianus Francken S. P. D.



Voniam semper ad te, Paule doctissime, mens mea recurrit, singularis, & diuini memor sermonis, quem paucis diebus ante tuum ex Iesuitarum religione discessum mecum habuisti: necessarium esse planè iudicaui, cùm mihi ipsi, ad nostræ recordationem amicitiæ declarandam: tùm maximè omnibus Christianis, ad salutis suæ dulcissimum, Iesuq; diuino nomine tectum & occultatum venenum cognoscendum, vt sermo hic quoq; tuus, vel noster potius, litterarum mandatus monimentis, ad te in primis, tanquam ad præcipuum auctorem suum, recognoscendi gratia, præsentemq; te, cùm ipse iam venire non possim, amandi, reuerteretur: deinde verò monendi caussa ad omnes, qui vbiq; sunt, Christianos exire permitteretur. Etenim tãta huius, tamq; aperta

ta vis est, & veritas, vt diurnis me nocturnisq; animi stimulis perpetuis pænè confecerit: nec vnquam postea, quàm tu Iesuitis valedixisti, quiescere, aut respirare siuerit: repugnantemq; nihilominus semper, ac reliquis ingenij viribus ad mortem vsq; vocationem meam defendere conantem, vix tandem viuum exceptum, atq; ex media Iesuitarum sodalitate extractum, in communem me hominum societatem reiecerit. Vbi nunc constitutus, sæpè casum veluti aduersum, & iniquum deploro meum: quasiq; ductis post tergum oculis, viso IESV *à me relicto grauiter suspiro. Sed tamen hoc me luctu toties leuari sentio, quoties mentis aciem à consuetudine Iesuitica abducens, antiquum quæro, atq; inuenio* IESVM: *quippe qui non suam mihi, sed Pharisaicam tantum, suo tamen insignitam nomine religionem ereptam esse, non dicat modo, sed hoc etiam signo confirmet, quòd nemo sanæ mentis homo, istam qui Societatem* IESV *ingressurus, vel iam ingressus, hunc meum, atq; adeò nostrum libellum attentè legerit, lectumq; diligenter cum eius constitutionibus, moribusq; contulerit, in ea ob fucum, fallaciamq; deprehensam permanere poterit: quodq; ad hunc ipsum, quamuis minimum libellum, nemo Iesuitarum, veritate, conscientiaq; prohibentibus, respondere audebit: vel ausus, vere, sincereq; respondebit. quanquam fortasse alius quispiam, legum, morum, constitutionum Iesuiticarum ignarus, multaq; sine mente, ac ratione turbans, stupidus, & stolidus blatero (cuiusmodi hoc tempore permultos Romana alit Ecclesia) Iesuitarū patrocinium suscipere non grauabitur.*

Sed iam, quo tandem modo à Iesuitis discesserim, breviter accipe. Ab ipso tuo conuersionis S. Pauli, superioris anni, festo, quo ex Viennensi Collegio, totaq; societate IESV discessisti, cùm totũ & mihi, vt dixi, manendi apud Iesuitas, animum ereptum sentirem, crebras habui cum nostro Prouinciali, de mea ex Societate dimißione, contẽtiones: institi, vrsi, vt dimitterer, sæpißimè: alioqui iã iam mihi animi dolore moriendũ esse clamitaui. Tum sepeliemus te, inquit ille. Ego verò nec mori, inquam, nec sepeliri apud vos potero. Horrendè igitur, inquit, Deus te puniet. Quoduis supplicium, inquã, hac mihi erit permansione leuius. Ergò Paulus Florenius, inquit, tuo in animo seminauit teq; totum à nobis abalienauit. Imò Paulus vester Campanus, inquã, Pragẽsis nunc vestri Collegii Rector animũ meum lethaliter vulnerauit, vt sanari iam amplius in Societate nõ poßit. Repetite enim memoria, si placet, quòd cum ad effusas ille suas contra me furias defendendas, se Italum esse proclamaret, hocq; nomine sapientem se intelligi vellet: ego tũ cõtra omnia Societatis auspicia, ex ipso, num in Italia etiam asini gignerẽtur, quærere fuerim coactus. Quibus sanè & huiusmodi aliis contentionibus, tantum abest, vt quicquam de me dimittendo cogitarint, vt Rectorem etiam nostrũ, Emericum Forslerum, qui nec seipsum quidem, nedum alios benè regere sciret, mea causa Græcium ablegarint, vt ibi quales subditi, talis Rector esset: Prouinciali nostro, Laurentio Magio in eius locum descendente: Græcensi verò Rectore in Prouincialem promoto.

Dictitauerat enim Prouincialis, postea reipsa

comprobauit: quoniam non, vt pleriq;, propter voluptates, & diuitias, quas planè contemnerem, discedere vellem, ingeniumq; haberem pugnax, & melancholicum; quiduis mihi potius concedendum, quàm ex Societate discessum: ne vt incauti quondã Romani suum Iulium Cæsarem, sic ipsi me decem annos contra se aluisse viderentur.

Hoc igitur beneficio vel nolens deuinctus, in summis certè vsq; continuis angoribus, institutum tamen meum, in Cæsareo Gymnasio, Philosophiæ curriculũ ad finem vsq; perduxi pridie nonas Februarias huius anni, iisdem me semper audientibus, qui tuo erant tempore, Romani Pontificis alumnis.


Absoluto autem meo doctrinæ cursu, valde ipsi de me soliciti & anxii, primo quoq; tempore me in Italiam: inde verò in Hispaniam, vbi omnis mihi, si non ex societate discedendi, at contra eandem pugnandi præcisa foret occasio, relegandum censent: tempusq; idoneum, & occasionem eiusmodi expectant, qua illectus potius, quàm tractus, aut coactus, Romã vsq; reduci possem. Quod cùm præsentirem, id me scire dissimulans, flagitare illos cœpi: vt mihi summis contemplandi, docendiq; laboribus perfuncto, ac propemodum exhausto, animi gratia domum Brunensem, Collegiumq; Olomucense inuisere liceret: neque prius ab huiuscemodi destiti precibus, quàm id, quod vellem, tandem impetrarem, vel ab inuitis potius extorquerem. Itaque duodecimo post emensum Aristotelicum labyrinthum die, ex Viennensi Collegio, ea, quã dixi, conditione dimissus, iter Brunam & Olomucium intendi,

omnem meam & Theologicam, & Philosophicam, non parui momenti supellectilem, diligentissimè illis ad reditum meum custodiendam relinquens: imò totum etiam, si haberem, mundum donare me illis malle cogitans, quàm diutius apud eosdem manere.

Neq; verò Reuerendi nostri Iesuitæ, idem mihi, quod aliis solent, obiicere possunt: me non sincero, ac religioso, sed ficto, & explorandi animo ipsorum fuisse religionem ingressum: atque hanc ob caussam in eadem permanere non potuisse. Nam in primis ipsi fatentur, me penè puerum nullo simulandi artificio eruditum ad suam religionem peruenisse: idq; in prima statim probationis Romana domo ita crebris corporis voluntariis suppliciis testatum esse, vt ter vnico illo anno in febriculam inciderem. Deinde in Romano ipsorum Collegio, vbi optimus quisq; & ingeniosissimus iuuenis, cùm ad ardentes, totumq; caput, & pectus fatigantes meditationes studiorum quoq; labor accedit, venam sibi pectoris frangens, vnaq; cum sanguine animam effundens, ad immaturam mortem truditur, me eodem etiam fati nouo, & prorsus Iesuitico genere libentissimè decessurum fuisse, nisi Medicorum consilio inuitissimũ, ad Neapolitanum Collegium, tanquam ad laxiorem disciplinam, clementioremq;, vtpote Campanam, cœli temperiem misissent. Postremò ex Italia in Germaniam reuersum ad propagandum regnum Iesuiticum multis vltrò voluminibus patriam mihi carissimam Saxoniam, atq; in ea Magdeburgenses potissimum, & Gardelebenses, & in his eximium præser-

tim Doctorem Siegfridum Saccũ, Superintendentem Magdeburgensem, & doctissimum virum M. Arnoldum Bierstedium, Senatorem Gardelebensem acerrime oppugnasse. Hæc inquam, vt alia omittam, & tu partim non ignoras, & Iesuitæ, vt dixi, negare non audebunt, & ipsa à ficto potuisse in religione animo proficisci, neminem arbitror, nisi omnis pietatis, & religionis expertem esse dicturum.

Quod deniq; ad ipsum hunc libellum, seu Colloquium hoc attinet, in eo breuitatis caussa imitatus Platonem, & M. Tullium in suis de Philosophia libris, te, cùm aliqua tui laude (quam æquo, quæso, animo feras: cum nec me blandiri, nec te laudibus capi posse optimè noueris) induco Doctorem, de Societate IESV, *deq́; ipsius idolis differentem: me autem discipulum vel addubitantem, vel quærentem aliquid, tandemq́; sententiam meam tuæ adiungentẽ. Vale. Lipsiæ, 24. Aprilis, Anni 1579.*


Vm singularis viri, & propè diuini, Pauli Florenii tempus adesset, quo ex perversa Iesuitarum sodalitate ad communem hominum societatem remigraret: nosq; illo ipso tempore soli essemus, tum ille, Videtur mihi, inquit, Christiane, rem omnem sincerius & subtilius contemplanti, nostra hæc, in qua versamur, religio Iesuitica tota ex superstitione, hypocrisi & ficta quadam pictaq; sanctitate conflata, vltimaq; hac mundi senectute à diabolo excitata: quæ omnes errores, nugas & superstitiones, quæ, vno vt verbo dicam, minus honesto quidem, & quo sanè inuitus vtor, sed huic rei aptissimo, planeq; necessario, quæ inquam omnia turpissima Papæ stercora tum grauiter per se olentia, tum verò hoc tempore, quo à curiosis plerisq; & eruditis viris crebrò commouentur, multò magis fœtētia, sanctitatis iam quadam simulatione cōdita, temperatáve, meandrisq, nescio quibus, inuoluta, orbi Christiano iterum venderet pro aromatis, atq; adeò per vim fermè quandam obtruderet: vt nihil tam turpe, fœcundum & falsum in Romana Ecclesia cernatur, quod hæc nouo non artificio, vel mentis aciem præstringendo, vel omnem turpitudinem & falsitatem callidè tegendo, pulchrum apparere faceret, atq, verum. Quare considerandum nobis etiā atq; etiam censeo: in quanam religione versemur,

ſemur, ne hanc eſſe falſam ignorantes, & ipſi à Deo ignoremur: deinde verò quod præclarus ille vates Ieremias iubet faciendum. *Fugite,* Ierem. 51. inquit, *de medio Babylonis, vt ſaluét vnuſquiſque animam ſuam.*

Itane verò, inquam, Paule, omnium tu ſanctiſſimam & doctiſſimam religionem fictam eſſe putas & falſam? Atqui ego vel hanc eſſe veram exiſtimo, proindeque in eadem nobis tanquam legitima in vocatione noſtra iuxta Apo- 1 Cor. 7. ſtoli doctrinam permanendum, nec latum ab ea vnguem diſcedendum: vel omnes, quæ vbique ſunt, falſas eſſe religiones: quapropter velis, vt aiunt, remiſque fugiendas.

Tum ille, Idem mihi, inquit, Chriſtiane, necdum hanc religionem ingreſſo videbatur: eademque de cauſa, è blandientis mundi huius, ex amplexuque me ſuo dimittere nolentis, erupi tandem brachiis: quaſique currens ad ſocietatem Ieſu, tanquam ad omnium ſanctiſſimam, Deo gratiſſimam, animæ meæ vtiliſſimam religionem, veni: ſed veram nunc in ea & ſinceram ſanctitatem quærens, non niſi (hei mihi) fucatam & ſimulatam inuenio. Hoc autem non odio me vel maleuolentia inductũ confingere, ſed ab ipſa conuictum veritate, & coactum eſſe dicere videbis, euidentiſſimeque palpabis, ſi ad ipſa ſtatim mecũ Societatis fundamenta penetrans, relictaq; omni voluntaria, vel, vt noſtri vocant, ſancta ſimplicitate, animíve cæcitate, purum rationis lumen tecum aſſe-

ras: ſiq́ue claro & ſincero, non autem præſtigiis Ieſuiticis cæcato animo ea intuens, omnem fucum & fallaciam cernere queas. Quod ſi, vt ſpero, facis, non dubito, quin iã nunc ex iis, quę in quauis noſtra probationis domo, ad erudiendos & iuxta normã Societatis inſtituendos nouitios iaciuntur, ſpiritualibus fundamentis intelligas: neminem prorſus huic eſſe religioni aptum, niſi qui vel naturalẽ quandam, vel ſeruili educatione acquiſitam, vel ſtupore quodam animi arreptã propenſionẽ habeat ad hypocriſin & ſuperſtitionẽ: nempè qui manifeſtã quâdã oris pietate, vultuſq; totius benignitate deuotionem, quam vocant, ſciat ſuam prodere in propatulo, quã tamen Chriſtus abſcondere iuſſit in cubiculo: quíve publicè orans, non aliter ac Phariſæus ieiunans, faciem nouerit ſuam exterminare: quæ cùm veriſſima ſit hypocriſis, à noſtris tamen *ædificatio* appellatur & *deuotio*. Equidẽ hoc eſſe Societatis noſtræ fundamentũ, indies magis magiſq; perſpicio, atq; valdè etiã deploro: neq; prius animus conquieſcet meus, quàm ex his ſordibus emerſero. Tu verò ſi diuturnâ cõſuetudine quaſi altera natura impeditus, illud fortaſſis necdum vides, efficiam profectò, vt vel ſolo id tactu, ſenſuum omnium ſtupidiſſimo illo quidem, ſed ſinceriſſimo, & qui minimè deprauari poſſit, cognoſcas.

Matt. 6.

Fateor ſanè, inquam, Paule, me iſta nondum videre: quare ſi tenebris me Ieſuiticis circumfuſum arbitraris, fac, ſi potes, tactu ſaltẽ, cuiuſmodi ea ſint, vt cognoſcam.

Atq;

Atq; ille, Accede igitur, inquit, iam propius, memoriaque quaſi manu tange omnem, quam partim in teipſo, partim in aliis Ieſuitis es hactenus expertus, ſanctitatem: eamq; diligenter cum ſingulorum ſimul naturis, Italicis, Hiſpanicis, Gallicis, Germanicis: ingenioſis vel ſtolidis: ingenuis vel ſeruilibus diligenter ponderás explorato, ſic tandem, ſcio, ſtatues: in Hiſpanis & Italis multò te ſemper plura & maiora Ieſuiticæ ſanctitatis inſignia notâſſe atq; obſeruaſſe, quàm in Germanis, Gallis & aliis nationibus: in ſtolidis autem & ſeruilibus hominibus multò adhuc plura & maiora quàm in ingenuis & ingenioſis.

Cauſſam autem huius rei in Hiſpanis quidẽ, nullam aliam reperies niſi ſeruilẽ in Chriſtiana religione educationem. Tanta enim in Hiſpania, vt ſcis, de fide Romana in ſingulos fit inquiſitio: tamque arcta, ne inde auolet, ſepta tenetur cuſtodia, vt niſi ipſi filii ad parẽtes ſuos αἱρέσεως damnatos exurendos, allato propria ex domo lignorũ faſciculo, carnificẽ adiuuent, ipſiq; propemodum parentum carnifices exiſtant, hęretici ferè ab omnibus iudicentur, eodemq; digni ſupplicio cenſeantur. Ex quo certè cognoſcis, neceſſe eſſe Hiſpanos ſuperſtitioſos euadere, actus religionis externos multiplicare, & vel mortuos fidem Romanam ſpirare: ne ſi minus multa religionis ſuę ſigna dederint, ſuſpecti de fide reddantur, & in tertiam vſq; & quartam generationem crudeliſſimè puniantur. In hac

igitur infinita animi ſeruitute nata, educata, inſtituta natio Hiſpanica, per ſe feruens, & cholerica, qui poteſt non fieri ſua in religione feruẽtiſſima, vel, ſi mauis, ſanctiſſima? imò qui non ipſe diabolus ſi Hiſpanicæ inquiſitionis eſſet
2.Cor.11. capax, ſemper ſe in angelum lucis transfigurare, aliquemque acquirere Romanæ ſanctitatis habitum cogeretur? Hoc ex fonte profluxit *Ignatius de Loyola*, qui miles Gallorum virtute in arce Pompeiopolitana victus: ipſe verò ſuperſtitione omnes vincens, factus eſt pater Ieſuitarum, quibus viciſſim Gallos, nec non totum orbem expugnaret terrarum. In Italis verò frequentes illos religionis externos actus oriri deprehendes, ex naturali quadam ad hypocriſin & ſuperſtitionem inclinatione: quippe qui, vt ex omnibus ferè ſuis ipſorum monimentis cõſtat, ſemper fuerint ſintque ad Deorum multitudinem colendam & ad omnem idololatriam propenſiſſimi: facilè vt appareat, ex hoc eos fornicationis poculo permulta in religionem
Apoc.17. Chriſtianam transfudiſſe: eamq; fermè totam veneno mortifero infeciſſe. Quo veneno adhuc maxima pars orbis Chriſtiani, ſuauitate, dulcedine, antiquitate & pulchritudine ipſius illecta deceptaq; inebriatur: dum quotidie de ſua ſolicita ſalute ad multitudinem Romanorum confugit Deorum, nimirum & ad innumeros Sanctos, à Pontificibus Romanis Deorum loco Ethnicorum inductos, ad inuocandumq; propoſitos, atque hos etiam eoſdem, ſi non reipſa,

ipſa, at nominibus multiplicatos: & ad plurimas Deas ſeu ſanctas; in quibus proculdubio loco *Cereris*, quam Romanæ mulieres facibus accenſis religioſiſſimè colebant, *Virgo Maria* tum eſt conſtituta, cùm *feſtum luminarium* ſeu *Purificationis Mariæ* eſt inſtitutum: cumq́ue ad augendam idololatriam, hæc ipſa ſolennitas in menſem potiſſimùm Februarium eſt coniecta: quo tempore priſci Romani *Februa* celebrabant ſua, totamq; vrbem *februare*, id eſt luſtrare ſeu purgare ſolebant. Siquidem omnis tunc populus, vt Romani ſcriptores teſtantur, pro impetranda defunctorum animabus quiete, piaculis, ſacrificiiſq́ue circa ſepulchra, facibus accenſis cereiſq́ue intentus erat. Ad hanc idololatriam ſacram deinde Scripturam per ſe venire nolentem quaſi per crines attraxerunt: & fortaſſis aliquem etiam eiuſmodi librũ inuentum, ex quo hæc quoquo modo deduci probariq́ue poſſit, canonicum fecerunt, vt ex ea omninò articulus fieret fidei: in quo defendendo, vt in multis aliis, omnes Romanæ Eccleſiæ doctores vel ſomniatores potius mirandum in modum, ſed fruſtrà deſudant: tandemq́ue excogitandis, inquirendiſq́ue quotidiè nouis rationibus, cùm nihil ſe proficere videant, ad traditionem Eccleſiaſticam, tanquam extremam ad anchoram, vnicumq́ue portum ſalutis confugiunt. Cùm tamen illa ipſa traditio maxima ex parte, præcipuo Idolo Romano, magnitudine ſuâ ad cœlum vſque pertingente, imò ad ve-

Varro lib. 1. de vita pop. Rom. Macrob lib 1. Saturnal c. 13. Ouid 2. & 4. Faſt.

nerandam & tremendam Trinitatem, triplici, quam geſtat, coronâ, triplicique, quã omnes ad ipſum accedentes faciunt, genuflexione, ſeſe erigéte, fulciatur. Nec verò vlla ego alia de cauſſa Germanos & Bohemos ſuapte natura ad omnem pietaté propendentes, tam facilè à Romana deſciuiſſe arbitror Eccleſia, quàm quòd ipſi ob inſitam ſibi grauitaté morumq́ue honeſtatem, ab omni idolorũ & ceremoniarũ multitudine, ab omniq; geſticulationũ & ſuperſtitionũ leuitate, Italorum propria, ſemper abhorruerint, adhucq; abhorreant. quanquam hac tamen idololatria & leuitate non per paucos annos ſeſe contaminarunt, inducti Idoli Romani authoritate, nunquamq́; fallente, quã ſemper ſe poſſidere prædicaret, veritate. Quòd ſi nonnulli ſpecioſo Hieronymi, Ambroſii, Auguſtini, Bernhardi, Thomæ Aquinatis, & aliorũ nomine ſanctorum per noſtros Ieſuitas commoti ad priſtinã abominationem reuertãtur: hi certè vel indocti, vel inexperti ſunt iuuenes, vel minus prudentes & intelligentes viri: qui confuſo quodã ſanctitatis, & doctrinę rumore ipſi quoq; confuſi, cernere non valent, quòd, quoniã iſti, quos dixi, Patres, Romanum Pontificem Deum terrenũ fecerunt, ſummam inter omnes homines poteſtaté & perpetuam doctrinę veritatem illi alligando, viciſſim eis Romanus hic Deus ſanctitatis quoddã donatum & alligatũ voluerit nomen: vt tanta illa, tamq́; ſuæ dignitati, ne dicam vanitati, ſeruiens doctrina, non humana,

ſed

ſed diuina voce fuſa videretur, eaq; ipſe ſemper fretus quoſuis nobis fidei poſſit articulos condere. Seruiles deniq; & ſtolidos homines, (hi enim in noſtra illa diuiſione nobis reſtăt,) quis nō videt eā ipsā ob cauſsā, & facillimè arripere & pertinaciſſimè retinere ſtolidā hāc & ſeruilē ſibiq; naturaliter conuenientē religionē? Sed hoc tu optimè intelligis, qui non ita multis, ſi meminiſti, abhinc dieb. dolorē mihi tuū, ex ruſticis Collegii huius & ſtolidis morib. acceptū, communicaſti, cùm nō ſine tui aliqua commiſeratione ex te audirē; te poſtea, quàm ex Italia in Germaniā eſſes reuerſus, acerbiſſimis exagitatū animi doloribus, citiſſimā tibi ſæpè mortē exoptaſſe, ne quid contra tuam facere vocationem cogerêre, quam vehementer infringeret & labefactaret ea cogitatio & experientia: quòd in iſtis partibus Societatem Ieſu non ingrederetur, vel certè non remaneret, niſi fæx hominum, quæ vix rationis ſit capax, nedū veræ pietatis & religionis: cui tamen, quòd multitudine vincat, te in omnibus conformare debeas, ſi externa velis pace, ſimulq; interna trăquillitatę animi frui. Benè igitur habet, cognita ſunt noſtræ religionis fundamenta: ad ipſum nūc corpus Societatis pergamus, quod cuiuſmòdi ſit, nō eſt iam difficile ex ſuis quaſi principiis cauſſiſq; cognoſcere. Nam cùm Societas noſtra, quę IESV cognomentum impudentiſſimè ſibi arrogat, ex eiuſmodi hypocritarum, & ſuperſtitioſorum hominum colluuie conſtet, Phariſaica erit potius dicenda religio: quæ tamen IESV, vt dixi,

pulcherrimo vestita sit nomine, vt miseri mortales iam non solùm sub vestimẽtis ouium, sed etiam sub diuinitatis ornamento salutis suæ latitantes insidiatores haberent: vt etiam, si fieri possit, electi, nihil in tanto veritatis nomine subesse suspicantes falsi, in errorem inducerentur.

Matth. 7.
Matth. 24.

Totum autem corpus Societatis, præter *Generalem*, qui ordinis huius est caput, & coryphęus, sex omnino hominum genera complectitur: quorum primi sunt, *quatuor votorum professi*: alteri, *trium votorum professi*: tertii, *Coadiutores spirituales*: quarti, *Coadiutores temporales*: quinti, *Scholastici*: sexti, *nouitii*.

Quatuor votorum professi ita appellãtur, quòd præter tria communia paupertatis, castitatis, & obedientiæ vota, peculiariter vouẽt & Pontifici Romano obedientiam, in disseminandis nimirum & propagandis totum per orbem terrarum, cùm ipse iusserit, Romanæ Ecclesiæ erroribus & superstitionibus, non petito viatico: & Patri Generali abnegationem honorum, ne scilicet fieri extra societatem Cardinales velint, & tamen hoc ipso nomine fiunt Cardinales in Societate: ex quibus Generalis, ipsorum Papa, eligatur: quibus tanquam cardinibus tota Societas vertatur: qui habeant existimationem doctrinæ & sanctitatis: sicque vana & stulta Societas, dum ambitionem se fugere putat, vel dissimulat, in ipsam ambitionem incurrit.

currit. Non secus ac vani illi, de quibus Cicero meminit, Philosophi, qui iis ipsis libris, quos de contemnenda gloria scribebant, in illis nomina inscribentes sua, inanem gloriam aucupabantur. *In 1. Tusc. quæst. libro.*

Trium verò votorum Professi sunt in Societate Episcopi. nam hic gradus cùm in aliis religionibus à simplici sacerdotio non separetur, sed iidem qui Sacerdotes, fiunt quoq; Professi; in nostra tamen religione ab eo seiungitur, quò nimirũ altior, maiorq; appareret, si multis annis primum post Sacerdotium, ad Professionẽ tanquam ad Episcopatum concederetur ascensus. Quibus sanè gradibus satis superque nobis demonstrant, se turpem ambitionis speciẽ in pulcherrimum, speciosissimumq; inanis gloriæ simulachrum commutâsse: quod pulchritudine suâ omnes mortales commoueret, plurimos etiam alliceret, & retineret apud sese. Cùm si acri mentis acie, externam hanc formam, figuramq; penetrantes, interiora eius viderent, proculdubio bestiam ibi illam secundam, quæ adorari faciat primam, latitantem inuenirent. Per *primam bestiam* Pontificem Romanum intelligo, qui ob sæcularem, quam sibi vsurpat, potestatem verissimus est Antichristus: quemque Societas nostra per vniuersum iam ferè mundum adorari facit, semperque vt faciat, se quarto illo suo, & peculiari voto obstrinxit. Illud autem quod Seruator noster, & dilectus ipsius discipulus Iohãnes, & propheta Daniel de breui di- *Apoc. 13.* *Matt. 24.* *Apoc. 13.* *Daniel 9.*

cunt Antichristi tempore, de vltima est persecutione intelligendum: quę tunc erit, cùm bellua illa Germaniã, Bohemiam, atq; alia imperia sibi nuper erepta, per secundum hanc bestiam, Societatem nostram, aliqua ex parte recuperauerit: multaq; alia regna per eandẽ sibi adiecta

Daniel. 8. viderit. Tunc enim diuitiis aucta magnificabit cor suum, & contra Principem Principum consurget, & sine manu conteretur.

Coadiutores spirituales (quo nomine omnes Sacerdotes, Theologiæ ac Philosophiæ Professores, & artium inferiorũ Præceptores non professi cõprehenduntur) nuncupatis prius paupertatis, castitatis & obedientiæ votis, bestiam hanc adiuuant in peruertendis & traducendis ad primam belluam animabus: qua in re quò quisque aptior & diligentior extiterit, eò citius ad professionem admissus membrum huius monstri efficitur.

Coadiutores verò *temporales* corpus huius bestiæ curant, victum atq; amictum ei præparantes, omniaque negotia domestica tractantes.

Scholastici deniq; & *Nouitii* in eum finẽ domi aluntur, ne monstrũ hoc tandẽ deficiat aliquãdo: sed vt putrescẽtibus veteribus membris, in recentioribus semper & nouis conseruetur.

Porrò autem ad perpetuò occultandã, conseruandam & augendam superstitionem & i-

In epist. Pat. Ignatii de Loyola, quæ singulis mensibus legitur ad mensam. dololatriam bestia hæc catulis suis intellectum (si quem habet) ipsumq; sensum ligat: dũ monet & mandat seriò, vt ea, quæ Superior iubet,

cæcâ

cæcâ obedientiâ perficiant: quæque ipſe facit, cæco iudicio pertranſeant, non conſiderantes an bonum vel vtile ſit necne, quod præcipitur: quandoquidem omnis eiuſmodi cogitatio meritum tollit, & valorẽ obedientiæ. Qua quidem in re Societas Canoniſtas imitatur, pernicioſiſſimos ſummorum Pontificum adulatores, & mundi totius ſeductores. Hi enim orbi Chriſtiano quondam perſuaſerũt, Romanum Pontificem tantæ eſſe dignitatis & authoritatis, vt etiamſi totum ille mundum deſtrueret, nemo tamen ex ipſo diabolici huius facti vel poſſet vel quærere deberet rationem. Sic prorſus, imò multò peius ſuos Societas alumnos inſtituit, cùm docet: quæq; Superior iubet, quęq; ipſe facit, non ſolùm iudicanda non eſſe (multò verò minus reprehendenda) ſed etiam tanquã bona & ſancta (vt Patris noſtri Ignatii verbis vtar) præſupponenda. Quò nimirum omnis tandem ſtultitia, idololatria & ſuperſtitio Sanctitatis nomen obtineant, locoq; reliquiarum Societatis colatur. Ac mihi quidem videor ſatis te ad cognoſcendam & palpandam religionem noſtram circumduxiſſe: neque dubito, quin iam tandem intelligas, quàm grauiter in hoc vitæ genere deligendo decepti ſimus; quamque facilè nobis, ſi ab eodem receſſerimus, ſit ignoſcendum.

Diſtinct. 40. cap. Si Papa.

In eadem epiſtola.

Horrenda ſunt, inquam, iſta Paule, & quidem ipſe ſæpè eiuſmodi viſus ſum in Italia monſtra videre: ſed intellectum, vt conſti-

tutiones noſtræ iubent, excæcans meum, illa à diabolo cõficta imaginabar, qui circuiret quærens, quemadmodum mea me vocatione priuaret, perq́; huius amiſſionem in miſeriam protruderet ſempiternam. Itaque abominandis tu portentis potius, quàm fortiſſimis fretus argumentis, & primam vocatioñẽ noſtram, & Eccleſiã Romanam conuellere conaris: quod tibi vni ſi concedam, non video, cur idem ſingulis ſectis omniũ aliorum religionẽ contemnentibus non concedendũ foret: cùm nihil non ex ſacra Scriptura à quouis, vt ſibi placet, intellecta probari poſſe videatur. Sed tamen, quia valdè probabilia, quæ de iſtis monſtris commemoraſti, ſunt omnia: reliqua verò euidentiſſima etiã, ipſumq́; ſenſum conuincẽtia, in hiſce tibi homini omnium, meo iudicio, Ieſuitarum doctiſſimo & ingenioſiſſimo non repugnabo: quin etiam excitare & excutere conabor, quam præſtigiis tu Ieſuiticis obſcuratam dicebas, & deprauatam, intelligentiam meam, complicatamq́; animi mei de Societate Ieſu notionem euoluere, vt latius deinde explices, quænam ſit ſpecies, forma atque notio veri Ieſuitæ, quem orbis Chriſtianus tantopere admiratur ac ſuſpicit. Vt autem tuo more ad ipſa me ſtatim Societatis fundamenta conuertam, quàm varia mihi hæc variis temporibus viſa ſint, accipe.

Diuina prorſus, mihi crede, primis diebus eſſe iudicabam Societatis primordia: mihique non amplius in terris, ſed verſari videbar in cœlis:

lis: quod idē omnibus nostris nouitiis, vel certè plurimis vsu venire puto. Nam tanta quotidianarum de rebus diuinis nostrarum vis est meditationum, vt homo veluti denuò natus, nō quidem vt antè à naturalibus parentibus, sed à Societate Iesu velut *Iniesuanatus*, nō aliter ac Christus à Spiritu S. incarnatus, videatur. Testatur hoc tota hominis quasi deificata natura: quippe quæ ab eo tempore, quo huiusmodi sese dedit meditationibus, à corporis obsequio, indulgentiaque quàm longissimè recedit: carnis societatem flagris, aliisque voluntariis corporis suppliciis eiicit: voluptatem sicut labem aliquam dedecoris opprimit: imaginem Domini Dei nostri (vt decimaoctaua nostra iubet regula) in quouis suo spirituali fratre agnoscit: nec non despicit, contemnit, proque nihilo putat diuitias, honores, atque omnia, quæ vulgò ducuntur amplissima. Et hæc primo anno mea fuit de Societate Iesu, firma sanè, & constans persuasio.

Altero verò anno cùm casu in litteras nostras Iaponicas incidissem, ibique inter cetera non sine admiratione legissem, quòd apud Iaponios etiam, antipodas nostros, religiosi quidā (quos *Iamambuxas*, hoc est, milites conuallium vocant) reperiantur, qui ad famam sanctimoniæ colligendam grauiter sese puniant, permultùm vigilent, diutissimè ieiunent, ac meditationibus quibusdam arbitratu suo cōpositis vacent: quodq; his rebus adeò proficiant, vt non rarò

In commentario de reb. Indicis & Iaponicis anno 1574. Coloniæ edito.

fol. 241. & 424.

tanquam ſpiritu afflati diuino fundere oracula credantur, perfectique & ſancti viri ab omnibus habeantur, tum præſertim, cùm propter Idolum ſuum mortem ſibi vltrò conſciſcere nó dubitant. Hæc, inquã, & multa huiuſmodi alia cùm ex litteris illis à noſtri ordinis hominibus, & ſcriptis, & nunc etiã in lucem editis cognouiſſem, obſtupui ſcilicet, tamq; cohorrui, quàm ſi ex aſtris in terrã relapſus fuiſſe. Occurrebat.n. menti meæ ſubitò, nihil noſtræ inueniri poſſe religioni ſimilius: quare vehementer timendũ eſſe, ne omnis hæc noſtra ſpiritalis viuẽdi ratio nó diuina ſit, ſed humana tãtùm & Philoſophica: quòd eã vel Idololatræ & Ethnici homines Euangelii luce carentes aſſequantur: & quidẽ tales Ethnici, qui natura, moribus, ingenio, noſtris Europæis ingenioſiorib. (Italis puta & Hiſpanis) perſimiles dicuntur, quiuis iam vt intelligat, à ſimilibus naturis, & ingeniis ſimillimas inuentas & conſtitutas eſſe religiones. Quid? quòd apud eoſdẽ Iaponios non noſtra tantùm religio, ſed tota fermè Eccleſia Romana Ethnico ſpiritu fundata conſtitutaq; cernatur? Nam in iiſdẽ litteris commemoratur, principem omnium in Iaponiorũ imperio locum tenere ſupremũ religionis antiſtitẽ: qui pænè pro numine colitur, & vulgò ſacroſanctus putatur ſic, vt prohibeatur humi veſtigia ponere, latiſſimeq; imperat, & cum profanis regibus ſæpè certat. *Tundos* etiam, (qui ſunt velut Epiſcopi) tametſi eorũ nominatio, quæ dicitur, quibuſdã in locis penes Regulos ſit, confirmat tamẽ & creat ipſe:

fol. 445. fol. 591. fol. 452.

qui deinde magno apud ſummos infimoſq; in honore ſunt, ſacerdotia conferunt, ieiunia indicũt, carnis guſtatus, cùm religioſis diebus ad idolorũ delubra vulgò peregrinantur, concedunt. Naſcẽtes præterea *Bontiorum* (qui Iaponii ſunt monachi) ſectæ nullam auctoritatẽ vel exiſtimationẽ obtinẽt, niſi eas idem ſuo diplomate & teſtimonio cõprobauerit. Hi porrò Bõtii ampliſſima incolere dicuntur noſtrorũ ritu monachorũ cœnobia, cœlibem vitam ducere, in phano medio aram excitare, in qua Amidæ ſignum ligneum, in roſa item lignea conſidet, præclara ad aſpectum: ingentes habere bibliothecas, cœnationes ad cibum vnà ſumendum, æramenta ſeu tintinnabula, quibus ad precationes horarias excitantur: veſpere Præfectũ certum vnicuiq; argumentum ad meditandũ proponere: à media nocte ante aram templi alternantib. choris quaſi matutinas recitare preces, è Xacæ libro nouiſſimo: prima luce vnam horã ſingulos meditando conſumere: permagna cõſtruere periſtylia, & in iis *Fotoquiorũ* (quò nomine Iaponii quidam ſancti appellantur) ſacella: mẽto, capiteq; eſſe raſo: dies per annũ feſtos celebrare multos. Nihilominus tamẽ eoſdẽ Bontios vita moribuſq; eſſe turpiſſimos, & omnium mortaliũ auariſſimos, omneſq; noſſe cõficiẽdæ pecuniæ vias: vẽdere populo multa chirographa, quorũ præſidio ſe tutos fore à dæmonibus vulgus exiſtimat: mutuari ẽt nummos, quos in altera vita duplicato reddant fœnore: dareque

fol. 43 r. *Ibidem.*

cautionis causa creditori syngraphas, quas secum è vita discedens deferat ad inferos: claro denique eos vt plurimùm esse genere, eò quòd Iaponii proceres multiplici prole onerati, quibus filiis satis amplum patrimonium relinquere se posse diffidunt, hos ferè ad Bontiorum numerũ aggregẽt. Christianos hosce diceres monachos, vel, si mores spectes, Canonicos, & Romanæ Ecclesiæ prælatos, si lux Euangelii vel tenuiter eis ante nostrorũ hominum ad ipsos aduentũ affulsisset: vel vllus omnino ad illos Christianus, ex quo hæc audita imitarentur, penetrasset. Sed neq; animarũ cultus Iaponiis deest, in quo tamen paulò magis, quàm nos, sunt superstitiosi. Nã Augusto mense integrũ ipsi biduum tribuere dicuntur colendis manib. mortuorum. Sub imminentem noctem in ædiũ foribus lampadas multas accẽdere, vario genere picturæ & ornatu: inde vrbem nocte tota partim religionis, partim spectandi causa perambulare: magnam etiam populi vim, cùm aduesperascit, ex vrbe, aduentãtibus suorum (vt ipsi videlicet opinantur) manibus obuiam prodire. Vbi quẽdam ad locum peruentum est, quo loco eos sibi occurrere arbitrantur, humanis primùm verbis excipere: Felix, dicentes, faustusq; sit vester aduentus, iamdiu aspectus vestri fructu caruimus: considete parumper, ciboq; vos ex itineris defatigatione reficite. Tum oryzam, arborũ fructus, aliaq; cibaria apponere: ibiq; per horã moratos, quasi finem epularum exspectent, eos preci-

fol. 306.

precibus in domos ſuas inuitare, dicereque, ſe iam præcedere vt domũ inſtruant, parentq; conuiuium. Vt biduũ illud effluxit, funalibus accenſis plebem oppido egredi, lumina diſcedentibus præferentem, (ne ſcilicet in tenebris offendant, aut quopiam incurrant) inde in vrbem reuerſos, ædium tecta lapidationibus diligenter excutere, ne qui fortè ex manibus (à quibus nimirum aliquod ſibi incommodum metuunt) occultè remanſerint. Interrogatos à noſtris Iaponios, cur illis epulum præbeant; reſpondiſſe, eos ad paradiſum tendentes ſuum, qui abeſt leucarum decies millies millena millia, quod iter non minus quàm triennio conficitur, recolligendarũ virium cauſſa huc diuertere. In his autem omnib. regnare Bontios, *Ibidem.* Iaponiorum ſacrificulos, neminemq; eſſe re familiari, quamuis exiguâ, quin ad expiandos ritè ſuorum manes, Bontiis munus aliquod afferat. Mitto iam breuitatis gratia aquam luſtra- *fol. 429.* lem: vaſcula vaporaria ſuffimenti cauſa prunis impoſita: multas & magnas indulgentias, quas *fol. 444.* Bontii populo in concionibus perſeueranti, & cœnobia ipſorum ditanti proponunt: globulos *fol. 432.* precatorios, quos permulti Iaponii non ſolùm priuatos inter parietes, ſed in publico, totaque vrbe ferè ſemper manu percurrunt, ab Amida, Xacaq; diuitias, honores, proſperam valetudinem, ſempiterna gaudia ſuppliciter poſtulantes. Quæ quidem vſque adeò vera ſunt, vt & à noſtri ordinis hominibus viſa, perſcriptaque ſint: & pænè ipſa etiam noſtri Patris *Petri Maf-*

sei, qui litteras illas ex Italico idiomate in Latinũ conuertit, verba vsurparim. Atq; hæc altera mea fuit de Societate Iesu totaq; Romana Ecclesia opinio, vel potius, vt Confessarius dicebat meus, tentatio: quam vix multis diebus ex animo tandem meo exclusi, omnem eiusmodi vim rationum dies noctesq; in mentem meã irrumpentiũ, precibus iaculatoriis, vt vocant, jeiuniis & aliis corporis afflictionibus constanter repellendo.

Hac autem vixdum deuicta tẽtatione, ecce tibi repẽtè alia, quæ vitã mihi vix reliquam faceret. Nam paulò post accidit, vt in prãdio nobis pro spiritali cibo prælegeretur 18. cap. 3. lib. Regũ: vbi de sacerdotibus Baal narratur, ꝙ ad suum ipsi placandũ Deum cultris se & lãceolis incidẽtes sanguinẽ emiserint. Quo audito (nõdum videlicet Theologus erã, neq; tota adhuc sacra biblia perlegerã) equidem toto corpore exhorrui, omnẽq; comedendi sensum & appetitum amisi: nostrorum nimirũ recordans flagellorũ, quibus tanquam cultris & lanceolis in nostra ipsi terga sæuiẽtes, non parum aliquãdo sanguinis elicimus, atq; haud scio, an vt Iaponii illi Iesuitæ (quos *Iamambuxas* vocari dixi) mortem tandem vltrò nobis inferimus, sanitatem quidem certè eripimus.

Verùm isti & istiusmodi sexcẽti alii spiritales scrupuli à me in Societate excepti, vereor ne leuiores sint, quàm vt tibi homini grauissimo enumerentur, & ad cognoscendũ proponãtur. Quocirca reliquis omnib⁹ omissis duo tantùm

ſancta & catholica, id eſt, Italica mõſtra & Idola, quorũ patrociniũ Societas noſtra peculiariter ſuſcepit, & de quib⁹ per decẽ iam annos laboro, ea vt mihi catholica effecta, ſancta quoq; facere poſſim, deſcribere conabor: ex quo tuã de Societate Ieſu & Romana Eccleſia ſentẽtiam in omnem æternitatem confirmari & corroborari ſenties.

Alterũ igitur horum Idolorũ vidi Romæ in phano D. Petri, ꝙ Idolum vulgò appellãt *Vicariũ Christi*: ego verò illud vel ipſum Chriſtũ, vel quid maius etiã Chriſto propterea exiſtimabã, quòd omnis populus, qui religionis cauſſa eò cõfluxerat, ſimul ac illud in ſublimi ſolio poſitũ manibus rubrorum hominũ, Seraphinorum inſtar angelorum, ne fortè ad lapidẽ pedem ſuũ offenderet, afferri vidit, ſtatim in genua procũberet, pectus ſuũ tunderet, multaq; id gen⁹ alia, q̃ ſoli Deo conueniũt, faceret. Proh Chriſte ſancte, anim⁹ tũc exclamabat meus, quouſq; quæſo tibi ferendũ videbitur, vt quantũ ipſe te verus Deus humiliaueris in terris, tantum Vicari⁹ tuus, homo dũtaxat, ſuper omnes ſeſe efferat & extollat cœlos? Vt, cùm nullũ tu hîc regnum habueris, imò regnum tuum non eſſe de hoc mundo dixeris, nullaque regia vſus maieſtate fueris: Vicarius tamen tuus omniũ iura poſſideat regnorum, omneſq; reges, teq; etiam Regem regum humana diuinaque vincat pompa & maieſtate? Vt cùm diſcipulus tuus Petrus, qui primus Papa fuiſſe dicitur, Cornelium Centurionem ſibi ad pedes ne iacere quidem,

Pſal. 90. *Ioan.* 18. *Actor.* 10.

nedum eos osculari sit passus, sed statim illum erexerit: Surge, inquiens, & ego ipse homo sum: Successor tamen eius, se hominem oblitus, sicut Deus istic aliquis sedeat, cuius ipsi homines deosculentur pedes? Sed tamen reuocaui me statim, & reduxi ad nonnullam animi æquitatem hoc quasi mecum habito colloquio: Est certè, inquam, omninò Pontifici Romano eiusmodi pompa & maiestas necessaria, ad alliciendos in officioq; retinendos superbos imperatores, reges & principes huius mundi: ad perstringēdos oculos vulgi, vt quod humilitas efficere apud huiusmodi homines non posset id saltem præstaret vanitas: vt cùm proprio sanctitatis & virtutis splendore, sicut Christus, Apostoli, & alii sancti viri, dignitatem tueri suā nō possit, eam fulgore saltem alieno defendat: ne cùm prisci Romani toti quondam mundo dominarentur, si Pontificis Romani potestas nō ad cœlos etiam & tartara, vel purgatoriū in hunc vsum confictū extenderetur, Papa minor illis, aut saltem æqualis videretur: vt quemadmodū summ⁹ Romanorū Deus, Iuppiter Opt. Max. quosdam fulmine fingitur ad inferos deturbasse: sic Romanus Pontifex suum terrificū haberet excommunicationis fulmen, quò omnes Christianorū animas attonitas redderet, easq; contra ipsius potentiam vel hiscere audētes, vltrà inferos etiam, si fieri posset, deiiceret: vt deniq;, sicut iidem illi rerū Domini amplissimum suum, purpuraq; fulgentem magistratū habe-

habebant, ex quo alii principes erant ciuitatis, alii instar regum exteris imperabãt nationibus: sic Papa Romanus non solùm Episcopos tanquam principes haberet, sed Cardinales etiam purpureosve Patres, qui summis regibus æquarentur: ex quibus solis instinctu Spiritus S. Vicarius Christi eligeretur. Quasi verò vt Cathedra Petri vrbi Romæ, sic Spiritus S. alligari non possit Cardinalibus, fœtidissimis certè ac turpissimis libidinum & ambitionum cloacis. Ipse enim sua sponte tantùm in quietis, seu modestis & humilitate præditis hominibus quiescere se velle dixit: inuitus autem & alligatus, vbicunq; Romana velit Ecclesia, permanere cogitur. quanquàm hîc semper mens mea reclamabat, quòd non tam arctè Spiritum S. sibi & suæ alligârint Ecclesiæ, quin vigesies & septies eius præsentia destituti, viginti septem illa, quæ in tabulis Pontificũ visuntur, excitarint Schismata: quæ certè perpetuum dicerent contra Spiritũ S. testimoniũ, omnemq; eius vim & potestatem redarguerẽt. Quid enim? erroris & dissensionis author numẽ potest esse diuinũ? Hoc loco cùm vrgentur, non discessisse tunc dicunt à Romana Ecclesia Spiritũ S. sed errore atq; ambitione hominum monstrosum Ecclesiæ caput, modò biceps, modò triceps extitisse: ex his autem omnibus semper vnum tantùm verum & legitimũ fuisse. O monstrosum Spiritũ vestrum sanctum, monstrosamq; Ecclesiam, quæ errore ac ambitione vestra toties, totque sibi capita

Esai. 66.

affiicta sustinere, per tot annos circumferre, tot mortalibus ad errorem, abominationem & desperationem obtrudere cogatur. Næ ego istud monstrum, quod toties iam duo, aliquando etiam tria simul capita habuit, facilè septem simul mõstrosa vestra libidine, ambitioneq; capita acquirere posse video. Sed de primo isto monstro seu Idolo satis.

Apoc. 13.

Alterum autem Idolum vidi Laureti, quod Itali vocant, *la Madonna di Loreto*. Est autem imago picta, vt dicitur, à S. Luca Euangelista, atq; eam ob caussam mirabilium operum effectrix prædicatur. Non queo verbis assequi, quanta sit Idoli huius religio, quanta ipsius miraculorum per totam Italiam fama. Hoc vnum Italis est cunctis, siue repentino aliquo mortis periculo perculsis, siue ægritudine aliqua laborantibus, in ore. Huic omnes in tali statu vota faciunt, munera promittunt, peregrinationemq; ad ipsius templum pollicentur. Quòd si accidat imminenti aliquos periculo, morbóve liberati, illicò miraculum exclamant, promissa soluenda statuunt, Lauretanamque profectionem suscipiunt. Itaque concurritur ex omnibus Italiæ partibus Lauretum quotidiè, dona innumera afferuntur, tabellæ pictæ totam miraculorum seriem exprimentes in templo suspenduntur. Commouebat me sanè primo aspectu tabellarum infinita multitudo, aliquidque ibi regnare diuini suspicabar.

Verùm

Verùm vt propius accedens eas inſpexi, facilè cognoui ſtupentis illa populi atque ſenſu (quẽ ferè ſolum habent) Deos ſibi ſenſibiles quærentis eſſe deliramenta. Nam hîc quempiam pictum cernebam pendentem in equuleo, votisq́; Virgini Lauretanæ factis omnia illa tormenta ferentem fortiter: illic alium ex feroci corruentẽ equo, mortis tamen fatum euadere: hîc quoſdam ægrotantes eiuſdem inuocatione in priſtinam ſanitatem reſtitui: illic alios, eoſq́; nauigantes ſimili voto maritimã procellam tẽpeſtatemq́; effugere. Quas tamen ineptias ipſe quondam Romanarum ſuperſtitionum diligens obſeruator Cicero exploſiſſe videtur, de natura tractans Deorum, deq́; Diagora Philoſopho, Romanorum Deos ridente ita ſcribens: *Cum Diagoras Samothraciam veniſſet atq́; ei quidam amicus: Tu qui Deos putas humana negligere, nonne animaduertis ex tot tabellis pictis, quàm multi votis vim tempeſtatis effugerint, in portumq́; ſalui peruenerint? Ita ſit, inquit. Illi enim nuſquam picti ſunt, qui naufragium fecerunt, in mariq́; perierunt.* Acutũ ſanè ac Philoſopho homine dignũ reſponſum, quo ſatis apertè ſignificauit, tales non Iouis, non Iunonis, non Neptuni, non aliorum, quibus vota fecerant, Deorum ope ſeruatos fuiſſe: cùm plures alii, iique multò fortaſſis his, qui mortem euaſerant, meliores, ſimilibus factis votis, fluctibus tamen hauſti periiſſent: ſed cùm omnes ferè in periculo cõſtituti ad aliquẽ eiuſcemodi confugere ſolerẽt


In 3 de nat. Deorũ libro non longè à fine.

Deorum; accideretq́; sæpissimè, vt caussæ naturales vehementius incitatæ, mortemq́; minitantes, in medio deinde cursu vel impeditæ, vel per sese attenuatæ repentè salutis spem afferãt, sine vlla ratione effectum hunc fictis commentitiisq́; Diis adscribi. Hoc idem nostris accidit Italis in colendo Idolo Lauretano, tabellisque pictis ei offerendis. quia cùm tota fermè Italia huic vota faciat, & necesse sit quodammodo in tanta hominum multitudine aliquos saltem, siue singulari ope diuina, siue viribus etiam naturæ, voti sui compotes fieri, & aliqua interdum naturæ miracula existere, stolidè hæc & stultè Virgini Lauretanæ attribuuntur: nisi negare fortè velint, quòd eodem modo, eádemq́; de caussa olim apud Ennenses etiam in Sicilia (vt idem Tullius testatur) simulachrum Cereris multis sæpè prodigiis (vt verbis eius vtar) vim suam numenq́; declarârit: & multis sæpè in difficillimis rebus præsens eius auxilium tulerit. Sed hæc, vt dixi, ferè vulgus tantùm, vulgiq́; similes sectantur. Nam docti eorum Philosophi, Medici, nec non Theologi, dignitate aliqua Ecclesiastica non deliniti, non modo hæc Lauretana miracula, sed ipsam etiam fidẽ Romanam (quod facilè cùm Neapoli essem, vbi nonnihil illis ab inquisitione papali respirare licet, intellexerim) tanquam fictam & falsam animo contemnunt: quin etiam apertè athei illi nomen Christiani ridebant meum, quòd Italico Idiomate per hominem Christianum, stupi-

In 6. orat in Verrem.

ſtupidum & ſtolidum ſignificare ac intelligere ſoleant: idq́; proptérea credo, quòd nemo illis, niſi ſtupidus & ſtolidus, ad Chimæras papales credendas aptus & idoneus videatur.

Hæc mihi ferè in mentem veniebant, quæ tuo excitatus, & neſcio quomodo illuminatus ſermone, dicenda putarem de Societate Ieſu, deq́; ſuis, quæ ipſa præcipuè colit & veneratur, idolis. Tum Paulus fortibus me oculis intuens, Non quæram, inquit, poſthac ampliùs tantæ cæcitatis Ieſuiticæ cauſſas; excuſationes non recipiam: ſi in te potuit tantum veritatis lumen inſtitutione Ieſuiticâ deprauari, ac propemodum, niſi ipſe, credo, huc diuinitus veniſſem, extingui; quid ego in obſcuris & tenebricoſis aliorum animis non fieri exiſtimem? Quæ cum dixiſſet, finitæ ſignum noſtræ recreationis dabatur, & vterq; noſtrum compreſſo, vt fit, ſermone, in ſuum ſe cubiculum recepit.






CHARACTERES IESVITARVM.

id est,

NOTÆ, ex Prophetarum, Apostolorum, & Apostolicorum virorum scriptis per Centurias collectæ, quibus NOVÆ *illius* SOCIETATIS, *sibi nomen* IESV *falsò tribuentis, facies & artes ad viuum depictæ repræsentantur.*

C 2



AD CHRISTIANVM LECTOREM Præfatio.



OMINVS NOSTER IESVS CHRISTVS, *nihil esse populo Christiano magis noxium, maioreq; studio ac zelo fugiendũ, quàm falsos Prophetas, quos Apostolus hæreticos appellare solet; grauissimis verbis docuit & admonuit. De tyrannis, Iudæis, aliisq; Ecclesiæ & salutaris doctrinæ hostibus, etiamsi Scriptura ita loquatur, vt eorum insidias nos declinare velit: tamen nihil expreßius iubet, quàm vt nobisipsis à Pseudoprophetis & Apostatis attendamus.* Cauete vobis, *inquit Christus,* à falsis Prophetis, qui ad vos accedunt in vestimentis ouium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces. *Primum autem illud nos obseruare iubet; Pseudoprophetas videlicet venturos. Deinde non nudè & simpliciter illos nobis fugiendos esse docet, sed etiam eius suæ tam necessariæ monitionis duplicem adfert caussam. Summam eorum qui fugiendi sunt astutiã & dolos:* Veniunt ad vos, *inquit,* in vestimentis ouium; *& parem astutiæ ac versutiæ rabiem & ferocitatem,* Intus autem sunt lupi rapaces. *Vt enim eos scopulos, dicebat magnus ille Nazianzenus,*

nus, magis nautæ declinare solent, qui sub aquis tecti delitescunt, quàm eos, qui extant & eminent: ita & illi inimici vitandi sunt, qui vt latentes scopuli sub aquis, sic illi sub variis simultatum integumentis latent & occultantur, & qui tum demum se produnt, cùm iam nauis fracta, mercesq́ue disiectæ sunt. Et præsertim, cùm, vt ait Ambrosius, caput petant, iugulum inuadant, vitalibus vulnus infligant, corpore saluo animam occidant: meritò Christus tales inimicos maximè metuendos esse diligenter monuit. Idem igitur & nos agamus: ac quis sit hic vestitus ouium, quæ integumenta sub quibus falsi Prophetæ latere solent, qui item fructus, per quos dignosci poßint, paucis ex sacra Scriptura doctorumq́ue virorum iudiciis ad piorum vtilitatem doceamus, vt vbi eos semel cognouerimus, tandem aliquãdo amare desinamur. Nemo autem alius hac nostra offendetur disputatione, nisi is, qui suo prius iudicio aut Pseudodoctorem se esse, aut falsa dogmata amplecti & sequi agnouerit: quod vbi cognoscet, laqueo errorum liberatus, gratias potius nobis, qui eas pelles lupis exitiosißimis detrahimus, aget, quàm vt succensere debeat. Quod propositum nostrum Christus benedictione sua prosequatur.

Prophetæ *vox non eum modò significat, qui de futuris vaticinatur, sed Doctorem quemuis, qui ordinaria vocatione ad ministerium Ecclesiæ destinatus, voluntatem Dei ex Scripturis interpretatur, & ad vsum præsentem accommodat, vt auditores ex eo doctrinam & consolationem percipiant, atque in Christo ad salutem æternam ædificentur. Sic Pau-*

lus de Prophetæ officio disserit in priori ad Cor. cap. 14. scribens: Qui prophetat hominibus, loquitur ædificationem, exhortationem & consolationem. *Falsi ergò Prophetæ sunt, qui non legitimè ordinati sunt, neq; auditoribus vtilia & ad ædificationem pertinentia loquuntur, sed sub hoc plausibili & piis omnibus venerando Prophetarũ titulo incautis ac simplicibus imponunt. Ideo dicit Christus,* qui veniunt: *ex priuato nimirum instinctu, non autem à Domino mittuntur: eorum similes de quibus ipse per Ieremiam, cap. 23. ait,* Currebant, & ego non misi eos. *Deinde* in vestimẽtis ouium *eos venire dicit, quia se oues esse, & ad populi Dei gregem siue ecclesiam pertinere simulãt: imò huius Doctores, Pastores, procuratores dici & esse volunt, cùm* intrinsecus, *id est, ingenii & intentionis suæ respectu, sint* lupi rapaces, *vt vt se blanditiis mirificis insinuent. De his verò suos admonens Christus vt iam dictum est, non obscurè innuit à talibus periculũ esse: & Ecclesiæ statum nunquam fore tam bene constitutum, quin tales possint subrepere. Etenim omnes homines natura mendaces, & proinde ad fabulas & fallacias propẽsi sunt, & fictis narrationibus potius quàm veritatis doctrina delectantur. Quò fit, vt si nemo nos fallat, pleriq; se ipsos fallant, & mendaci aliqua persuasione animos suos pascant, dum sibi ipsis vel in superstitionibus suis vel in turpi scelerum licentia blandiuntur. Non deest ergo isti occasioni Satan, sed mox suos seruos emittit, qui Dei nomine sese venditant, salutis publicæ studium profitentur, diuinum cultũ, seminaria Religionis, verbum Dei in ore habent, &*

vt

(ut mirè ingeniosa est hypocrisis) ieiuniis, preculis, vestitu tetrico & ad simulationem composito, disciplina quadam ciuili, fictis item blanditiis, querimoniis, declamationibus, suspiriis crebris & lacrymis, se mundo mortuos esse, se IESV *seruos & socios, totoq; cælestium amore atq; desiderio ardere simulant: cùm non aliud quærant, quàm vt suis commodis & priuatæ existimationi consulãt. Tales olim cum tota factione sua Coritæ fuerunt, qui totius Ecclesiæ caussam agere volebant videri, vt & hanc ex Mosis atque Aaronis manu eriperent, & Deo suum honorem atque cultum vindicarent. Num.16. Tales Prophetarum temporibus multi erant, quos* canes mutos *dicit Isaias cap. 56. qui item (vt Micheas cap. 2. ait) de vino & sicera concionabantur, & populum inanibus promissis lactabant. Similes horum erant Pharisæi, Scribæ & Sacerdotes, qui cùm Mosis cathedram occupassent, populum inani traditionum fuco decipiebant, & sub longarum precationum prætextu domos viduarum & orphanorum deuorabant. Huius generis impostores nouissimis temporibus passim exorituros esse, Christus & Apostoli prædixerunt: & verè quidem hoc prædictum fuisse, res ipsa loquitur, si quid inter Christianos ab annis quingentis factum sit, ex historiis animo repetas, & quid quotidiè fiat paulò attentiùs obserues.*

Nobis ergò Christum loqui putabimus, & de nostro nos officio admonere, in cuius consideratione nos eò diligẽtius versari cõuenit, quod multi hìc grauiter offendũt, Sunt enim qui admonitionem istam mini-

mè ad se pertinere, nec quicquam referre putant, quæ vel qualis doctrina prædicetur & admittatur. Et hi semper ratum fore aiunt, quod Christus dixit Ioan. 10. Oues meæ vocem meam audiunt, & sequuntur eam, alieni autem vocem non sequuntur. *Ad hæc Doctores pro ipsis & toto populo rationem reddituros esse dicunt: se ergò apud Deum excusatos esse, si suorum Principum voluntati atque exemplo sese accommodent, & eos Doctores simpliciter sequantur, quos illis probari vident. At longè aliter Christus, qui ouibus suis dicit,* Cauete vobis à pseudoprophetis. Cauendi *verbo diligentem attentionem requirit, & ne vllum securitati locum demus. His consentiunt Apostolorum admonitiones;* Omnia probate, quod bonum est tenete, 1. *Theß.* 5. *Item,* Carissimi, ne cuiuis spiritui credatis, sed probate spiritus, num ex Deo sint, 1. *Ioh.* 4. *Qui ergò quosvis promiscue audiunt & sectantur, ii satis ostendunt, se nulla veritatis dilectione teneri, & proinde dignos esse quos Deus impostoribus seducendos, expilandos & dilaniãdos propinet. Sibi ergò hoc Christi dictum singuli priuatim applicent: qui verò reipubl. habenas moderãtur, plus quiddam abs se præterea requiri sciant: vt nimirũ hîc potißimum vigilent pro publica populi salute, ne doctrinæ fontes toxico humanarum traditionũ inficientur: ideoque authoritate sua in illis coercendis vtantur, qui illud audent. Extat de hac re lex Dei Deut.* 13. *quæ Pseudoprophetam lapidari iubet, quam Christus minimè abrogauit, vt neque alias morales atque iudiciales, quæ ad conseruandam hone-*

statem,

statem, iustitiam & pacem publicam sunt necessaria. Qua verò moderatione Legis istius rigor temperari debeat & intendi, facilè intelliget Princeps verè Christianus, si, quid cuiusque salus & Dei gloria requirat, expenderit.

At quærat aliquis: Quo autem indicio ego, qui Scripturarum inexpertus & rudis sum, lupos illos agnoscam, si sub pellibus ouillis latitant, & oues atque pastores tam mirifico astu mentiri possunt? Huic ergo quæstioni occurrens Dominus, verum iudicem siue Lydium lapidem nobis porrigit, ad quem cum Doctores, tum doctrinas exploremus. A fructibus eorum, *inquit*, agnoscetis eos. *Et quod breuius dictum videri poterat, similibus ex vulgo petitis interpretatur, dicens:* Num colligunt ex spinis vuam, aut ex tribulis ficus? Ita omnis arbor bona fert fructus bonos, putris autem arbor fert fructus malos &c. *Quibus verbis hoc omnino vult dicere: vt vnaquæque arbor sui generis fructus fert, nec aliquis tam vecors facile fuerit, vt ex spinis vuas colligere aut ex tribulis ficus decerpere velit: vt item arbor bona fructus bonos, putris autē arbor putres & insipidos fructus gignit, neque aliter fieri potest, ideo arbor quæque ex suis fructibus, qualis sit, agnoscitur: ita ex fructuum indicio Prophetæ etiam siue Doctores agnoscuntur, & qui illos obseruare volet, nō facile falli poterit, nisi sciens volensque cæcutiat.*

Ceterùm hîc probè teneamus oportet, quinam fructus illi sint, de quibus Dominus loquitur. Nā multi hos ad vitam & mores Doctorum siue Prophetarum referunt, & ex illis de doctrina iudicant. At

licet hi in Doctore respici debeant, & nulla venia dignus sit, qui mali exempli author est suis auditoribus, tamen vitæ exemplum siue mores non sunt proprii illi fructus, ex quibus semper certum iudicium de doctrina fieri possit: & sæpe fit vt veritatem purè ac sedulò doceant, qui malè viuunt: quod Christus quoque obseruauit, quando de Scribis & Pharisæis dicebat, In cathedra Mosis sedent, *Matt.* 23. Omnia ergo quæ dixerint vobis vt seruetis, seruate & facite: at secundum opera eorum ne feceritis: dicunt enim, & non faciunt. *Vt ergo huius loci verum sensum teneamus, Prophetæ aut Doctoris vocabulo insistere nos oportet. Huius proprius & germanus fructus est, Doctrina. Hæc ergo examinari debet, vt nimirum ex quibus fontibus deriuetur, ad quem finem item siue scopum dirigatur, & quæ eius effecta sint, videamus. Ita nos ipse Christus docet, quando suæ doctrinæ authoritatem contra Iudæos astruens, inquit,* Doctrina mea non est mea, sed eius qui misit me, *Ioan.* 7. *Suam esse negat, ex hominis solius, quem assumpserat, respectu loquens, vt eam non humanam, aut ex hominibus acceptam, sed diuinam esse ostendat. Et mox hoc ipsum probat, dicens:* Si quis voluerit eius voluntatem facere, *id est, si quis serio diuinæ voluntatis studio tenetur, facile* intelliget, num doctrina mea ex Deo sit, an ex me ipso loquar, *nimirum vt vulgaris homo & carnis affectui deditus. Nam* qui à semetipso loquitur, gloriam propriam quærit: qui autem quærit gloriam eius qui misit ipsum, hic verax

est, &

est, & iniustitia in eo non est: *videlicet quo ad doctrinam. Quo ad vitam enim & inhærentem nobis vitiositatem, homines omnes peccatores sunt, & in multis labimur omnes.*

Ex his colligimus, quinam Doctoris veri & fidi fructus sint: nimirum non ex se ipso loqui, sed Scripturam ex Dei ore, id est, ex Scripturis acceptā proponere, Dei gloriam quærere, huic soli homines adducere per eum qui solus ad Patrē via est: hominum item saluti studere, vt omnia ad ecclesiæ ædificationē referantur, curare, sub qua pacis publicæ & charitatis studium continetur. Qui hoc seriò & ex corde faciunt, ii proculdubiò curabunt, vt vita & mores ipsorum doctrinæ respondeant. Nec enim quod aliis sedulò inculcant, verbum Dei, in semetipsis negligent aut segnescere patientur. Econtra Pseudoprophetæ aut falsi Doctoris fructus atque effecta erunt, proprii capitis figmenta aut ab aliis excogitatas traditiones pro Dei oraculis venditare: suas paleas cum tritico Dei miscere: non Dei sed propriam gloriam quærere: non auditorum saluti sed priuato commodo & quæstui studere: homines non Deo per Christum adducere, sed sibi ipsis discipulos parare: eosdem propriæ iustitiæ fiducia inflare, & circa ceremonias inutiles occupatos tenere: denique respub. turbare, coniugia dissipare, œconomiam in familiis euertere, & dissensiones non necessarias serere. Qui ista faciunt, ii ferè sectatoribus suis licentiæ authores sunt, dū peccata ridiculis nugis facilè expiari posse fingunt: ipsi autem ex aliorū stultitia

& superstitione voluptatem capiunt, & in sinu suo rident suauiter, quando nænias atq; fumos suos, quos nimium credulis vendunt, in tanto pretio & sibi quæstuosissimos esse conspicantur. Quamuis autem interdum pietatem & ardens sanctimoniæ studium simulent, intrinsecus tamen sunt lupi rapaces: *imò vt Christus alibi ait Io.*10. fures & latrones sunt. *Nam vt Deo gloriã suam eripiunt, & Iesum Christũ meriti sui laude spoliant, incautos verò pecuniis emungunt, atq; multorum conscientias diris ac horrendis fermentis excruciant. Tales fuisse Christi tẽpore Pharisæos & sacerdotes Iudæorum, ipse non vno loco testatur, & eosdem propter sacrorum nundinationem, instar canum impudentissimorum flagello facto ex templo eiecit, Ioan.*2. *nimirum ad patris dictum respiciens qui olim per Zachariam prædixerat cap.*14. *Chananæis & mercatoribus non locum fore in domo sua. Similes horum sunt hodie, qui sibi primatum in Ecclesia vendicant, honorem Christo debitum in creaturas & ritus ridiculos atque frigidissimas superstitiones transferunt, & (quod facturos D. Petrus prædicit epist.*2.*cap.*2.*) de Christianis hominibus turpissimè nundinantur. Tales hodie inter omnes sectas apparent Noui Sodales, nomine* IESV *tanquam ouilla pelle tecti, qui in familias irrumpunt, & affectas conscientias fictis blanditiis atque suspiriis, imagunculis, confessionibus, precibus inescant, vt salutis dubias factas facilius in partes suas pertrahant: qui seditionum, diuortiorum & turbarum publicarum authores sunt, vt ipsi sub ementito Sacrosancti nominis titulo ex alieno securi viuant.*


Hi ergo

Hi ergo omnes cauendi sunt. Nam quacunq; sanctitatis & eruditionis specie polleant, reuera tamen arbores putres sunt, ex quibus non potest fructus aliquis sperari: spinæ item & tribuli sunt, qui conscientias superstitione delibutas acutissimè quidem pungunt, easdem verò neq; vuis suauibus, neq; ficubus, qui cælestis dulcedinis saporem referant, recreare aut exhilarare possunt. Quid enim ex illis errorum magistris tibi promittas, qui suos sectatores, quos suis traditionibus sibi seruos fecerunt, per ludibrium bonos Christianos *vocitare solent?*


Tanta hypocriseos cogitatio & Iesuitica rabies, quæ sub pietatis & eruditionis pelle in miserum ouile Christi per Europam & Orientis partes longè lateq; grassatur, me impulit, Christiane lector, vt CHARACTERES *seu notas, quibus pseudonymos istos facilius ab aliis sectariis dignosceres, tibi colligerem. Tametsi enim quæ illis tribuit Scriptura & orthodoxa Antiquitas, aliis etiam pseudoprophetis & falsis doctoribus ante & post Christum in carne manifestatum conueniant, nihilominus quædam peculiariter huic postremæ Antichristi fœturæ tribuenda sunt: vt poteris facile coniicere si mores & docendi methodum huius sectæ paulò propiùs inspicias. Quid in nos, quos insulsè & falsò hæreticos vocant pro concionibus apud Principes, & in scholis debacchentur, satis notum: sed mecum cogita, Lector, quales fuerint istorum hominum artes, qui per exiguum temporis spatium amplissimos sibi prouentus gratis compararunt, heredes legitimos multos exheredarunt, infinitos auri aceruos emunxerunt, regna integra labefa-*

ctant, consilia publica moderantur, & emissarii sedis Antichristianæ facti horrendas tristium tragœdiarum faces accendunt, quibus miseram Europam, ni Deus auertat, breui in cineres versam lugebunt posteri.

Characteribus autem seu notulis nostris ex Prophetarum, Apostolorum, Apostolicorumq; virorum laboribus collectis, interpretationes non adiunximus; tum quòd per se facile percipiantur istæ notulæ, tum vt iudiciũ tuum acueremus, vt de noui istius sodalitii ingenio & instituto acrius cogitares. Horrenda enim monstra sub pellibus Iesuiticis latuisse præsens dies ostendit, & infinita alia adhuc latêre quis, nisi prorsus stupidus, negare audeat? Prior verò Centuria quæ de Pseudoprophetis sancti Prophetæ, Christus & Apostoli tradunt, Iesuitico gregi apprimè conuenientia, continet. Tu opellam nostram precibus ad Deum tibi vtilem redde, expete pacem Ierosolymorum: dic, Tranquilli sint amantes tui. Sit pax in præmunitione tua & tranquillitas in palatiis tuis, *&c.*




CHA-



CHARACTERVM IESVITICORVM

CENTVRIA PRIMA.

I. Character.

AVaritia] Iſti canes auidiſſimi non norunt ſaturitatem: propterea ipſi paſcunt ſe, neſciunt docere: quotquot ſunt, ad viam ſuam ſe conuertunt, quiſq; ad lucrum ſuum, ab extremitate illius. *Iſai.56,3.*

II.

Artes]Oua aſpidis excludunt,& telas aranei texunt: qui comedit ex ouis eorum morietur. *Iſai.59,5.*

III.

Acta ſeu res geſtæ] Telæ illorum non erũt pro panno,neque operient ſe factis ſuis: facta illorum ſunt facta iniquitatis,& opus violentiæ eſt in manibus eorum. *Iſai.59,6.*

IV.

Malitia] Pedibus ſuis ad malum cõcurrunt, & feſtinant ad fundendum ſanguinem innoxium: cogitationes eorum ſunt cogitationes iniquæ: vaſtitas & contritio in aggeribus illorum eſt. *Iſai.59,7.*

V.

Cæcitas mentis]Viam pacis ignorant,nullum

IESVITARVM

eſt ius in orbitis illorum: ſemitas ſuas deprâuant iſtis, cuiq; incedenti per aliquam earum, hic expers eſt pacis. *Iſai.*59,8.

VI.

Turpis lucri cupiditas] A minimo eorum vſq; ad maximum quiſquis eſt, deditus eſt quæſtui. *Ierem.*6,13.

VII.

Confuſionum diſſimulatio] Curant contritionem filiæ populi mei ſecundùm curationẽ mali leuiculi, dicendo, pax, pax: etſi nulla eſt pax. *Ierem.*6,14.

VIII.

Deſperata contumacia] Omnes ſunt cõtumacium contumaciſſimi, ambulantes cum detractione, chalybei & ferrei: omnes corruptores ſunt. *Ierem.*6,28.

IX.

Doctrina] Viſionem animi ſui loquuntur, nõ ex ore Iehovæ. Dicunt continẽter iis qui ſpernunt Deum, loquutus eſt Iehova, pax erit vobis: & cuique ambulanti ex ſententia animi ſui dicunt, non ſuperueniet vobis malum. *Ierem.*23,16,17.

X.

Impii conatus] Putant ſe facturos, vt obliuiſcatur populus nominis Dei per ſomnia ſua, quæ enarrant quiſque amico ſuo. *Ierem.*23,27.

XI.

Erroris efficacia] Seducunt populum falſitatibus ſuis, & rapiditate ſua, cùm Deus non miſerit

ſerit eos, neque præceperit eis, & omnino non proſint populo huic. *Ierem.*23,32.

XII.

Audacia] Sequuntur ſpiritum ſuum, & quæ non viderunt. Vident vanitatem & diuinant mendacium. Multis modis fecerunt, vt erraret populus, dicentes pacē eſſe vbi nulla eſſet pax, quumque alius [*pſeudopropheta*] extruit luteum parietem, ecce illi obducunt illum inſulſo tectorio. *Ezech.*13,3,9,10.

XIII.

Crudelitas] Similes ſunt leoni rugienti, prædanti prædam: animas comedunt, robur & res pretioſas capiunt, viduas eius multiplicant in medio eius. *Ezech.* 23,25.

XIV.

Adulationes fraudulentæ] Malitia ſua exhilarant Regē, & mēdaciis ſuis Principes. *Hoſe.*7,3.

XV.

Rapacitas] Concupiſcunt agros & rapiūt, domoſque concupiſcunt & adimunt: opprimentes virum cum domo eius, quemque cum poſſeſſione ſua. *Mich.*2,2.

XVI.

Ambitio fallax] Si vir ventoſus & falſus mentiatur, dicens, ſtillabo tibi pro vino aut pro potu inebriante, is ſtillator [*doctor*] eſt populi huius. *Mich.*2,11.

XVII.

Ventris cura] Mordentes dentibus ſuis proclamant pacem, & in eum, qui non indiderit

IESVITARVM.

ori ipſorum, indicunt bellum. *Mich.*3,5.

XVIII.

Amor pecuniæ] Horum ſacerdotes pretio docent, & horum Prophetæ pecunia diuinant; interea Iehova nituntur, dicendo, Annon Iehova in medio noſtri eſt? non ſuperueniet vobis malum. *Mich.*3,11.

XIX.

Ingenium] Optimus iſtorum ſimilis eſt ſpinę, rectiſſimus præ ſpineto eſt. *Mich.*7,4.

XX.

Hypocriſis] Obſcurant facies ſuas, vt appareant hominibus ieiunare. referunt mercedem ſuam. *Matt.*6,16.

XXI.

Manſuetudo ficta] Veniunt cum veſtimentis ouium, ſed intrinſecus ſunt lupi rapaces. A fructibus eorum agnoſcetis eos. *Matt.*7,15.

XXII.

Impia ſuperſtitio] Quare & vos tranſgredimini mandatum Dei per traditionem veſtram? Nam Deus mandauit dicens; Honora patrem tuum & matrem: &, Qui maledixerit patri aut matri, morte moriatur. Vos autem dicitis, Quicunq; dixerit patri aut matri, Donũ quodcũq; à me erit, tibi proderit; etiam ſi nequaquã honorauerit patrẽ ſuum aut matrem ſuam, inſons erit. Et irritum feciſtis mandatum Dei per traditionem veſtram. *Matt.*15,3. *&c.*

XXIII.

Vana religio] Fruſtra Deum colunt, docentes doctri-

doctrinas quæ sunt mandata hominum. *Matt.* 15,9.

XXIV.

Tyrannis] Dicunt, & non faciunt. Ligant enim onera grauia difficiliaq; portatu, & imponunt in humeros hominum: digito autem suo nolunt ea mouere. *Matt.* 23,4.

XXV.

Ambitio] Omnia opera sua faciunt, vt spectentur ab hominibus. *Matt.* 23,5.

XXVI.

Impietas] Væ vobis, hypocritæ, quoniã clauditis regnũ cælorum coram hominibus. Vos.n. non introitis, nec introeuntes sinitis introire. *Matt.* 23,13.

XXVII.

Detestanda pietatis simulatio] Vę vobis, hypocritæ, quoniam exeditis domos viduarum, & in speciem vtimini longis precibus: propterea auferetis grauius iudicium. *Matt.* 23,14.

XXVIII.

Periculosæ concursationes] Væ vobis, hypocritæ, quoniam circumitis mare & aridam, vt faciatis vnum proselytum: & cùm fuerit factus, facitis eum filium gehennæ, duplo magis quàm vos sitis. *Matt.* 23,15.

XXIX.

Iniquitas hypocritica] Væ vobis, hypocritæ, quoniã assimiles estis sepulchris dealbatis, quæ extra quidem apparet speciosa, intus verò plena sunt ossibus mortuorum omniq́ue immunditia. Ita & vos extra quidem apparetis hominibus iusti: intus autẽ pleni estis hypocrisi & iniquitate. *Matt.* 23,27.

IESVITARVM.

XXX.

Ementitum nomen speciosum, ut facilius seducant]Multi venient in nomine meo, dicentes, Ego sum Christus, multosq; seducẽt. *Matt.* 24, 5.

XXXI.

Erroris efficacia]Edent signa magna & miracula: ita vt seducant (si fieri possit) etiam electos. *Matt.* 24, 24.

XXXII.

Ostentatio ridicula] Diligunt primũ consessum in conuentibus & salutationes in foris. *Luc.* 11, 43.

XXXIII.

Fraus latens] Sunt veluti monumenta quæ non apparent, & quæ nesciunt ii, qui super ea ambulant. *Luc.* 11, 44.

XXXIV.

Insanabilis peruicacia] Si cæci essetis non haberetis peccatum: nunc verò dicitis, videmus: itaq; peccatum vestrum manet. *Ioh.* 9, 41.

XXXV.

Superbia]Dilexerunt gloriam hominum potius quàm gloriam Dei. *Ioh.* 12, 43.

XXXVI.

Desperata rebellio]Duri ceruice, & incircumcisi corde & auribus, vos semper Spiritui Sancto obnitimini: sicut patres vestri, ita & vos. *Actor.* 7, 51.

XXXVII.

Viua effigies]Domino nostro Iesu Christo nõ seruiunt, sed suo vẽtri: & per blandiloquentiã & assentationẽ hominum corda minimè malorum

rum ſeducunt. *Rom.*16,18.

XXXVIII.

Opum conquiſitio]Quæ ſua ipſorũ ſunt quærunt,non quæ Chriſti Ieſu. *Philip.*2,21.

XXXIX.

Terreſtrium cura] Complures incedũt,quos ſæpe dixi, nunc autem & flens dico,hoſtes eſſe crucis Chriſti. Quorum finis eſt exitium: quorum Deus eſt venter,& gloria cum confuſione ipſorum: qui terreſtria curant. *Phil.*3,18,19.

XL.

Præſumtio] Seſe ingerunt in ea quæ non vident, & temere turgent carnis ſuæ ſenſu.*Coloſſ.* 2,18.

XLI.

Ferox ingenium]Neq; Deo placent,& omnibus hominibus aduerſantur. 1.*Theſſ.*2,15.

XLII.

Studia & occupationes] Attendunt fabulis & genealogiis infinitis , quæ potius quæſtiones præbent quàm ædificationem Dei , quæ eſt per fidem. 1.*Tim.*1,4.

XLIII.

Vaniloquentia] Finis mandati eſt charitas ex puro corde & conſcientia bona & fide non ſimulata. A quibus quum quidam [*Ieſuitæ, noſtro ſæculo*] vt à ſcopo aberrarint, deflexerunt ad vaniloquentiam. 1.*Tim.*1,5.

XLIV.

Impudens ignorantia] Volunt eſſe legis Doctores,nec intelligunt quæ loquuntur,neq; de quibus aſſeuerant. 1.*Tim.*4,7.

XLV.

Falsa doctrina] Posterioribus temporibus descifcent quidam à fide, spiritibus deceptoribus attendentes ac doctrinis dæmoniorum per hypocrisim falsiloquorum: quorum conscientia cauterio resecta est, prohibentium contrahere matrimonium, iubentiũ abstinere à cibis, quos Deus creauit ad participandum cum gratiarum actione fidelibus & iis qui cognouerunt veritatem. 1. *Tim*. 4, 1, 2, 3.

XLVI.

Insania] Si quis diuersam docet doctrinam, neque accedit sanis sermonibus Domini nostri Iesu Christi, & ei quæ secundum pietatem est doctrinæ; is turget, nihil sciens, sed insaniẽs circa quæstiones ac verborum pugnas ex quibus nascitur inuidia, lis, maledicentiæ, suspiciones malæ, peruersæ exercitationes hominũ mente corruptorũ, & qui priuati sunt veritate, & quæstui habent pietatem. 1. *Tim*. 6, 3, 4, 5.

XLVII.

Inanis gloriatio] Auersate profanos de rebus inanibus clamores, & oppositiones falso nominatæ scientiæ: quam nonnulli [*Iesuitæ hodie inter ceteros omnes sophistas*] præ se ferentes, circa fidem aberrarunt à scopo. 1. *Tim*. 6, 20, 21.

XLVIII.

Profani clamores] Profanos de rebus inanibus clamores cohibe: ad maiorẽm enim procedent impietatem. 2. *Tim*. 2, 16.

XLIX.

Quæstiones ineruditæ] Stultas autem & ineruditas quæstiones reiice, sciens eas gignere pugnas. 2.*Tim*.2,23.

L.

Hypocrisis] Habentes formam pietatis, sed vim eius abnegantes. 2.*Tim*.3,5.

LI.

Turpis occupatio] Irrepunt in familias,& captiuas ducunt mulierculas,onustas peccatis,actas cupiditatibus variis.2.*Tim*.3,6.

LII.

Mens reproba] Quemadmodum Iannes & Iambres restiterunt Mosi, ita & hi resistunt veritati, homines mente corrupti, reprobi circa fidem. Sed non procedent amplius: nam amentia istorum euidens erit omnibus, vt & illorum fuit. 2.*Tim*.3,8,9.

LIII.

Pessima conditio] Improbi homines & impostores procedent in peius, tum seducentes alios,tum seducti ipsi. 2.*Tim*.3,13.

LIV.

Peruersitas] Refractarii,vaniloqui,& mentium deceptores: qui totas domos subuertunt, docentes quæ non oportet, turpis lucri gratia. *Tit*.1,10,11.

LV.

Cauterio resecta conscientia] Hæreticũ hominem post vnam & alteram admonitioné reiice: vt qui noris euersum eum esse, qui sit huius-

IESVITARVM.

modi,& peccare,vt qui ſuo præiudicio ſit condemnatus. *Tit.*3,10,11.

LVI.

Abnegatio veri Chriſti]Fuerunt pſeudoprophetæ in populo, vt etiam inter vos erunt falſi Doctores, qui ſubintroducent hæreſes exitiales,etiam Dominum qui illos mercatus eſt abnegantes, accerſentes ſibi ipſis velox exitium. 2.*Pet.*2,1.

LVII.

Erroris efficacia]Multi ſequentur eorum exitia, per quos via veritatis blaſphemabitur. 2. *Pet.*2,2.

LVIII.

Auara negotiatio] Per auaritiam fictis ſermonibus Chriſtianos negotiabuntur. 2.*Pet.* 2,3.

LIX.

Miſer exitus] Iis damnatio iam olim non otiatur,& horum exitiũ non dormitat.2.*Pet.*2,3.

LX.

Impura vita] Carnem ſequentes in impura cupiditate incedunt,& dominatum deſpiciũt, & vt ſunt audaces & ſibi placentes non horrent dignitates conuitiis inceſſere.2.*Pet.*2,10.

LXI.

Mentis cæcitas] Iſti velut animantia rationis expertia,quæ naturali impetu feruntur, facta ad eum finem vt capta intereant,ea vituperantes quæ ignorant, ſua ipſorum corruptela interibunt. 2.*Pet.*2,12.

LXII.

LXII.

Luxus] Pro voluptate ducunt quotidianas delicias. 2. *Pet*. 2, 13.

LXIII.

Fraudes] Labes ac maculæ, quæ fraudibus ſe oblectant. 2. *Pet*. 2, 13.

LXIIII.

Turpitudo] Oculos habentes plenos adulterii, & qui à peccando ceſſare neſciant. 2. *Pet*. 2, 14.

LXV.

Artes perpetuæ] Ineſcantes animas inſtabiles. 2. *Pet*. 2, 14.

LXVI.

Deploratus amor habendi] Cor habentes ad auaritiam excitatum. 2. *Pet*. 2, 14.

LXVII.

Impia maledicentia] Execrandi homines, qui relicta recta via aberrarunt, ſecuti viam Balaami filii Boſor, qui mercedem iniquitatis amauit. 2. *Pet*. 2, 15.

LXVIII.

Vanitas] Iſti ſunt fontes aqua carentes, nebulæ à turbine exagitatæ &c. 2. *Pet*. 2, 17.

LXIX.

Ambitio noxia] Prætumidam vanitatem loquendo per carnis cupiditates laſciuas eos ineſcant, qui verè effugerant eos qui in errore verſantur. 2. *Pet*. 2, 18.

LXX.

Falſa iactantia] Libertatem pollicentur, quũ ipſi ſerui ſint corruptionis. 2. *Pet*. 2, 19.

LXXI.

Conditio] Facta est vltima eorum conditio deterior priore. 2. *Pet*. 2, 20.

LXXII.

Scripturæ S. depravatio] In Epistolis Pauli nonnulli sunt difficilia intellectu, quæ indocti parumque stabiles detorquent, vt & reliquas scripturas, suo ipsorum exitio. 2. *Pet*. 3, 16.

LXXIII.

Antichristianismus] Quicunq; spiritus non confitetur Christum in carne venisse, ex Deo non est, sed hic est ille Spiritus Antichristi, de quo audistis eum venturum fuisse, & iam nunc in mundo esse. 1. *Ioh*. 4, 3.

LXXIV.

Antiiesuitismus] Multi impostores ingressi sunt in mundum, qui non confitentur Iesum Christum venisse in carne. Qui est eiusmodi, impostor est & Antichristus. 2. *Ioh*. 7.

LXXV.

Dogmata & mores] *Hæc graphice depinguntur in epistola S. Iudæ, cuius testimonia quoniam consentiunt cum iis quæ citavimus ex 2. Pet. c. 4. iterum adscribere nolui.*

LXXVI.

Noxiæ concursationes] Ex fumo putei abyssi exierunt locustæ in terram: dataq; est illis potestas qualē habent terrestres scorpii. *Apoc*. 9, 3.

LXXVII.

Furiosa audacia] Vidi equos per visionem: & ipsorum sessores habentes thoraces igneos & hyacin-

IESVITARVM.

hyacinthinos & sulphureos: erant autem capita equorum vt capita leonum: & ex ore ipsorũ prodibat ignis, & fumus, & sulphur. *Apoc.* 9,17.

LXXVIII.

Metuendus impetus] Potestas eorum in ore eorum est, & in caudis eorum: nam caudæ eorum similes sunt serpentibus, habentes capita per quæ nocent. *Apoc.* 9,19.

LECTORI CHRISTIANO S.

VT integram Centuriam primã haberes, viginti duos Characteres ex Apostolicis viris prioribus adiũgere visum est. Ceterùm illud animaduertas velim, ante aliquot annos variis scriptis à Iesuitica secta editis Ecclesiæ Christianæ Pastores infinitis conuitiis fuisse laceratos. Maledictis autem certare cum isto sodalitio non est nobis constitutum: illis tantum regerimus, quod olim insignis Philosophus cuidam Sophistæ respondit, qui conquisitis multis futilibus argumentis probare conabatur, Philosophum illum non esse animal rationale: Conclude (*inquit*) de te quod de me dixisti, & verum dixeris. *Reposuimus ergò veros Characteres ex sacris litteris, quos quotidiana experientia, mores, conatus & scripta Iesuitarum huic sectæ ante alias omnes omninò conuenire testantur, & posteritati nostræ (nisi Deus talem mundo pestem auerterit) amplius testabuntur.*

IESVITARVM.

LXXIX.

Sunt nonnulli vaniloqui & ſeductores, non Chriſtiani, ſed Chriſtempori, id eſt Chriſti lucriones, quiq; ex nomine Chriſti quæſtũ faciciant: fraude circumferentes illius nomen, & adulterantes verbum Euangelii, & erroris venenum allinentes dulcibus alloquiis, velut mulſo aconitum miſcentes, vt ſuauiſſimo ſapore deceptus guſtandi ſenſus incautè mortẽ hauriat. *Ignatius ad Trallianos, Epiſt.* 5.

LXXX.

Speciem quidem pietatis habent, virtutem verò ipſius abnegant, ſub Chriſti nomine & prætextu mercatum exercentes, verbum Dei adulterantes, & Ieſum vendentes: corruptores, alieniq; appetentes, & pecuniarum violentiſſimi ſectatores. *Ignatius ad Magneſianos, Ep.* 6.

LXXXI.

Multi lupi velleribus tecti in Dei ſtadio currentes pernicioſis voluptatibus illectos captiuos comprehendũt. *Item.* Si quis graditur iuxta aliena præſcripta, hic non eſt Chriſti, ſed eſt vulpes & corruptor vineæ Chriſti. *Ignatius ad Philadelphenſes, Epiſt.* 9.

LXXXII.

Infidam ſimultatem inter ſe exercent, charitatis nullam habent rationem, futura negligunt, præſentia ſeu ſtabilia (viſibilia) bona curant, præcepta contemnunt, viduam & orphanum deſpiciũt, oppreſſum deſpuunt, vinctum rident. *Ignatius ad Smyrnenſes, Epiſt.* 10.

Solent

LXXXIII.

Solent malo dolo nomen quidem circumferre :ſed patrant quædã indigna Deo,& ſentiunt ea quæ pugnant cum Dei doctrina in exitium proprium,& eorum qui illis credunt. *Item.* Erraticus ille & falſus Spiritus ſeipſum prædicat, ſua loquitur, ſibi namq; placet, ſeipſum glorificat, plenus enim faſtu eſt, mendax, fraudulentus, aſſentatione & adulatione gaudens, ſubdolus, nugax, inconſtans, verboſus, lubricus, meticuloſus. *Ignatius ad Epheſios, Epiſt.* 14.

LXXXIIII.

Relinquamus multorum vanitates falſasq; doctrinas, & ad illud quod traditum eſt nobis à principio verbum reuertamur. *Polycarpus in Epiſt. ad Philippenſes.*

LXXXV.

Venient præſumtores absq; gratia Dei loquentes, quorum gloria labiorum procedit ex ſuperbia. Hi docebunt doctrinam, quæ aliena eſt à Deo, amica autem Diabolo : per quam ipſe Spiritus erroris animas poſt ſe trahere feſtinabit. *Martial. in epiſt. ad Burdegalenſes, cap.* 11.

LXXXVI.

Non deſunt quidam qui iuxta carnem proficiunt, iracundiæ ſuæ patrocinantes ex Euangelio,& ſententiæ,in quam proniores ſunt,accommodantes Seruatoris noſtri oracula : in quorum poteſtate ſi eſſet ſitum gehennæ quoslibet addicere, t otus mundus exhauſtus eſſet

Iam

eorum sæuitia: attamen, quantum in ipsis est, & condemnant, & ignis fornaces aperiunt. *Item.* Sunt quidam sic addicti suis opinionibus, vt, quantum in ipsis est, ex die noctem faciant: & quia in absurda imaginatione occalluerunt, non credunt alios rectè sapere, his tam iniqui vt malint mendacibus obtrectationibus credere: ne quid dicam de his, qui propter malam conscientiam, quod de aliis dicitur, ad se trahunt, & quicquid de quouis loquaris, ad se pertinere putant: atque inde, vt fit, nouas confingunt fabulas & tragœdias, contenti suas suspiciones dicere vel scribere. *Item.* Non est contendendum cum eo qui dat operam, vt quomodocumq; fiat superior, & modò victor habeatur, veras rationes negligit. *Iustinus Martyr in Epist. ad Zenam & Serenum.*

LXXXVII.

Philosophiam nomine habituq; profitentur quidam, qui nihil præstant dignum hac professione. *Iustinus Martyr in 2. Apologia pro Christianis.*

LXXXVIII.

Veteratoriè instructi persuadendi arte seducunt mentes imperitorum, eosq; captiuos ducunt, deprauantes eloquia Domini: mali enarratores facti eorum quæ bene dicta sunt: *Item.* Verborum quidem artificio simplices eò probabiliter addeucunt, vt aliquo modo inquirant: sed improbabiliter ipsos perdunt, dum aduersus summum opificem impiam red-

dunt

dunt & blaſphemam ipſorum mentem, ita vt ne verum quidem à falſo diſcernere poſſint. *Irenæus in præfatione lib. 1. adu. hæreſes.*

LXXXIX.

Non oſtenditur per ſe impoſtura, ne nuda deprehendatur: ſed amictu veriſimili callidè ornata, ita vt imperitioribus videatur externa ſpecie ſe veritate ipſa veriorem exhibere. *Ibidem.*

XC.

Cùm tale ſit principium doctrinæ ipſorum, quam neq; Prophetæ prædicauerunt, neq; Dominus docuit, neq; Apoſtoli tradiderũt, de qua gloriantur, ſe pluſquam alii de vniuerſis rebus cognouiſſe, cùm ex iis quæ ſcripta non ſunt pronuncient, ac ſtudeãt, vt vulgò dici ſolet, ex harena teſtes connectere, conantur ad faciendam fidem iis quæ dicta ſunt, accommodare aut parabolas Domini, aut dicta Prophetica, aut ſermones Apoſtolorum, ne ipſorum figmentum teſtimonio carere videatur. Qua in re tranſiliunt ordinem & ſeriem ſcripturarum, ac (quantum in ipſis eſt) diſſoluunt membra veritatis. Transferunt enim & transformant, & dum aliud ex alio faciunt, multos fallunt ſapientia malè compacta ex dictis Domini, quæ errori ſuo aptant. *cap. 1. libri 1. aduerſus hæreſes.*

XCI.

Quemadmodum ſi quis pulchram regis imaginem pretioſis lapidibus ab artifice

ſapiente conſtructam diſſoluat, deleta hominis forma quam ille ſtatuerat, atq; lapillos illos transferat quibus efficiat formam canis aut vlupis, quam etiam malè ſtruat: poſtea definiat ac dicat hanc eſſe pulchram illam regis imaginem, quam ſapiens artifex conſtruxerat, oſtenſis lapillis iſtis, qui à primo artifice pulchrè compoſiti fuerant in regis imaginem, malè verò translati à poſteriore in formam canis, ac per phantaſiam lapillorum aſtutè fallat imperitos, qui regiæ formæ notionem non habent, perſuadeatq; hanc turpem canis formam eſſe pulchram illam imaginem regis: Eodem ſanè modò hi conſarcinant fabulas anicularum, quibus poſteà verba, dictiones & parabolas hinc inde euulſas applicant, & fabulis ſuis adaptare volunt eloquia Dei. *Ibidem*.

XCII.

Quemadmodum ii qui in phreneticum affectum lapſi, quo plus rident & ſe valere putant, ac tanquam ſani omnia peragunt, quædam verò etiam plus quàm ſani, tanto peius ſe habent: ſimiliter & iſti, qui ſapiĕtia præcellere videntur, ac ſeipſos eneruant, tanto magis deſipiunt, quanto ſupra vires iaculantur. *Eodem lib*. 1. *c*. 13.

XCIII.

Nemo eſt perfectus inter ipſos, qui non magna mẹndacia veluti fructus producit. *Eodem libro, cap*. 15.

Adſe-

XCIV.

Adferunt immensam Apocryphorũ & Scripturarum notharum multitudinem, vt stupefaciãt amentes & ignaros verarum litterarum. *Eodem lib. cap.* 17.

XCV.

Veritati non credentes, in mendacio voluntatis perdiderunt panem veræ vitæ, in vacuum & in profundum vmbræ incidentes, similes Æsopi cani, qui panem quidem reliquit, in vmbram autem eius impetum fecit & perdidit escam. *lib.* 2. *cap.* 12.

XCVI.

Non magis idonei hi quàm Scripturæ, nec relinquentes nos eloquia Domini, & Mosen & reliquos Prophetas, qui veritatem præconiauerunt, his credere oportet, sanum quidem nihil dicentibus, instabilia autem delirantibus. *Eodem lib. cap.* 54.

XCVII.

Quum ex Scripturis arguuntur, in accusationem conuertuntur ipsarum Scripturarum, quasi non rectè habeãt, neq; sint ex authoritate, & quia variè sint dictæ, & quia non possit ex his inueniri veritas ab his qui nesciant traditionẽ. *lib.* 3. *cap.* 2.

XCVIII.

Sophistæ verborũ magis volunt esse, quàm discipuli veritatis. *Eodem lib. cap.* 40.

XCIX.

Quæcunq; cum grauitate summa dixerint, in vltimum ad hoc deuenerunt, vt blasphe-

ment Creatorem, & contradicant saluti plasmatis Dei. *In præfat. lib.* 4.


C.

Non accepta à Deo prophetica gratia, nec Deum timentes, sed aut propter vanam gloriam, aut ad quæstum aliquem, aut aliter secundum operationem mali spiritus, fingunt se prophetare, mentientes aduersus Deum. *Item.* Schismata operantur, sunt immanes, non habentes Dei dilectionem, suamq; vtilitatem potius considerantes quàm vnitatem Ecclesiæ, propter modicas & quaslibet caussas magnum & gloriosum corpus Christi conscindunt & diuidunt, & quantum est in ipsis interficiunt, pacem loquentes, & bellum operantes: verè liquantes culicem, & camelum transglutientes. Nulla enim ab eis tanta potest fieri correptio, quanta est schismatis pernicies. *lib.* 4. *cap.* 61 & 62.

Admonitio. Legite diligentius id quod ab Apostolis est Euangelium nobis datum, & legite diligentius Prophetas, & inuenietis vniuersam actionem, & omnem doctrinam, & omnem passionem Domini nostri prædicatam in ipsis. *Irenæus lib.* 4. *cap.* 66.



CHA-



CHARACTERVM IESVITICORVM

CENTVRIA SECVNDA.

I. CHARACTER.

NVNQVAM in ſermone adulationis fuimus, ſicut nouiſtis, inquit Apoſtolus, neque in prætextu auaritiæ, neque quærentes gloriam ab hominibus, neque à vobis, neque ab aliis, cùm poſſemus eſſe oneri vt Chriſti Apoſtoli: ſed fuimus manſueti in medio veſtri, ſicut nutrix fouet filios ſuos. Eadem ratione eis qui ſunt diuiniorum verborum participes obſeruandum eſt, num nimium curioſi animi vitio inducti, tanquam vrbium ædificia viſuri, ad id accedant, num veniant vt ſint rerum particularium participes [*quod Ieſuitæ ſedulò factitant*] cùm audierint eos qui ſunt Chriſto conſecrati ea, quæ ſunt ad victum neceſſaria, libenter communicare. At ſunt ii quidem hypocritæ, ideò mittantur. *Clemens Alexandrinus, ſtromatum lib.* I.

II.

Quidam [*Ieſuitæ*] ſeipſos erigentes, calumnias verbis inuenire contendunt, contentioſas

comparantes quæſtiones, diſtinctiuncularum venatores, puſillarum quarundam artium æmulatores, litigatores & iurgiorũ conſarcinatores. Ob hanc artem efferentes ſe Sophiſtæ infelices, canoris quibusdam ſuis nugis garrientes, cùm in nominum delectu & certa dictionum compoſitione & connexione tota vita laborant, cicadis apparent loquaciores. &c. *Eodem lib.*

III.

Hi ſunt lupi rapaces, tecti pellibus ouium, plagiarii, & diſerti animarum abigei, qui clam quidem furantur, ſed fures eſſe conuincuntur, qui & dolo & vi nos conantur ſuperare qui non delectamur ſuperuacaneis, vtpote quòd minùs eis in dicẽdo valeamus. Iſti ſunt q funiculos trahunt, inquit Scriptura, & nihil texunt, inanem laborem plurimi facientes, quem impoſturam & aſtutiam ipſe vocauit Apoſtolus, aptam ad erroris inſidias. *Eodem libro.*

IV.

Ipſæ Sophiſtarum dictiones non ſolùm multorum oculos perſtringunt & eos ſeducunt: ſed nonnunquam etiam vim adferentes, caducam reportant victoriam. *Eodm libro.*

V.

Mendaces ſunt reuera, non ii qui ſe demittunt & ſe accommodant propter œconomiã ſalutis, neq; qui labẽtur in aliquibus ex iis quæ ſunt ſingularia: ſed qui concidũt in iis quæ ſunt vel maximè principalia, & Dominum quidem, quan-

quantũ fieri ab eis poteſt,informant & abrogãt. Auferunt autem veram Domini doctrinã, qui non pro dignitate Dei & Domini Scripturas tractant & tradunt. *libro ſexto.*

VI.

Ex iis qui declinant à veritate, alii quidẽ ſeipſos ſolos,alii verò propinquos quoq; conãtur fallere. Atq; ii quidem qui appellãtur δοξόσοφοι, hoc eſt, opinione ſapientes, qui ſe veritatem inueniſſe exiſtimant, nullam habentes veram demonſtrationem, ii ſeipſos decipiunt, ſe acquieuiſſe exiſtimantes, quorum non parua eſt multitudo, & quæſtiones declinantiũ propter confutationes, & doctrinam vitantium propter condemnationem. Qui autem eos qui accedunt decipiunt, ſunt valdè callidi & aſtuti, qui etiamſi ſatis aſſequantur ſe nihil ſcire probabilius, tamen argumentis obſcurant veritatem. *libro ſeptimo.*

VII.

Neceſſe eſt labi in maximis eos qui res maximas aggrediuntur, niſi regulã veritatis ab ipſa veritate acceptam tenuerint. Qui autem ſunt eiuſmodi, vt qui à recta via exciderint, meritò etiam falluntur in plurimis ſingularibus, propterea quòd non habeant verorum & falſorũ iudicium planè exercitatum, in iis quæ oportet eligere: ſi enim haberent, parerent Scripturis diuinis. *Eodem libro.*

VIII.

Si Propheticis Scripturis vti audent qui fal-

ſa dogmata ſequuntur, primùm quidem non omnibus, deinde non perfectis, neque vt dictat corpus & contextura Prophetiæ: ſed eligentes ea quæ dicta ſunt ambiguè, traducunt ad proprias opiniones, paucas voces ſparſim carpentes, non id conſiderantes quod ex ipſis ſignificatur, ſed ipſa nuda dictione vtentes, &c. *Eodem libro.*

IX.

Nolunt conuerti ad veritatem vt quos pudeat deponere commodum ſui in ſeipſos amoris: neque ſciunt qua ratione poſſint ſuas rationes ſtabilire, Scripturis vim afferentes. *Eodem libro.*

X.

Cùm ad falſa in vulgus proferendum dogmata proceſſerint, cum omnibus ferè Scripturis euidenter pugnantes, & ſemper à nobis, qui contra eos dicimus, confutati, quod reliquum eſt nunc adhuc ſuſtinent aut quædam ex ſcriptis Propheticis non admittere, aut nos, tanquam qui ſimus alterius naturæ, non poſſe quæ ſunt illorum propria intelligere, calumniantur. *Ibidem.*

XI.

Nonnunquam, cùm conuincuntur, ſua negant dogmata, apertè confiteri erubeſcentes quæ ſe ſeorſum ita docere gloriantur. Id enim in omnibus hæreſibus videre licet, perſequendo ipſorum dogmatum nequitias. Nam poſtquam à noſtris euerſi fuerint, oſten-

dent

dentibus ipſos apertè aduerſari Scripturis, duorum alterum videre licet fieri ab eis qui præſunt dogmati: aut enim ſuorum dogmatum conſequentiam, aut ipſam Prophetiam, vel potius ſuam ipſorum ſpem deſpiciunt. Semper enim ſibi ſumunt id, quod eis viſum fuerit, eſſe euidentius quàm quod dictum eſt à Domino per Prophetas, & ab Euangelio, & etiam Apoſtolorum teſtimonio comprobatum & confirmatum. &c. *Ibidem.*

XII.

Inani ſapientiæ opinione elati, perpetuò litigant, apertè oſtendentes ſe magis curare vt videantur, quàm vt philoſophentur. &c. *Ibidem.*

XIII.

Cùm liceat ex ipſis Scripturis demonſtrationes diuinis Scripturis conuenientes colligere, id omninò non faciunt, ſed quod eorum voluptatibus ſuffragatur, eligunt. Gloriæ autem tenentur deſiderio, qui ea quæ ex natura ſua conueniunt ſermonibus diuinitus inſpiratis, tradita à beatis Apoſtolis & magiſtris, ſua ſpõte fallaci ſapientiæ ſimulatione corrumpunt per alias tractationes, humanis doctrinis reſiſtentes diuinæ traditioni vt hæreſim conſtiſtituan.t&c. *Eodem libro.*

XIV.

Circuit cauponas religio mendicans: exigitis mercedem pro ſolo templi, pro aditu ſacri: non licet Deos [*ritus Ieſuiticos*] noſſe gra-

tis, venales ſunt. *Tertullianus, Apologetici cap.* 13.

X V.

De quorundam infirmitatibus habẽt quod valent, nihil valentes ſi in benè valentem fidem incurrant. *De præſcriptionibus, cap.* 2.

X V I.

A Philoſophia ſubornantur. *Item.* Inſerunt Ariſtotelem qui illis Dialecticam inſtituit. &c. *cap.* 7.

X V I I.

Scripturas obtendunt, & hac ſua audacia ſtatim quosdam mouent: in ipſo verò congreſſu firmos quidem fatigant, infirmos capiunt, medios cum ſcrupulo dimittunt. *cap.* 15.

X V I I I.

His nituntur quæ ex falſo compoſuerunt, & quæ de ambiguitate cœperunt. *cap.* 17.

X I X.

Solent dicere non omnia Apoſtolos ſciſſe: eadem agitati dementia qua rurſus conuertunt, omnia quidem Apoſtolos ſciſſe, ſed non omnia omnibus tradidiſſe, in vtroque Chriſtum reprehenſioni ſubiicientes, qui aut minus inſtructos, aut parum ſimplices Apoſtolos miſerit. *cap.* 22.

X X.

Credunt ſine Scripturis, vt credant aduerſus Scripturas. *cap.* 23.

X X I.

Doctrina eorũ cum Apoſtolica comparata

ex

ex diuersitate & cõtrarietate sua pronuntiauit, neq; Apostoli alicuius auctoris esse, neq; Apostolici: quia sicut Apostoli non diuersa inter se docuissent, ita & Apostolici non contraria Apostolis edidissent, nisi illi qui ab Apostolis desciuerunt & aliter predicauerunt. Ad hanc formam prouocabuntur ab illis Ecclesiis, quæ licet nullum ex Apostolis vel Apostolicis viris auctorem suum proferant, vt multò posteriores, quæ denique quotidiè instituuntur: tamen in eadem fide conspirantes, non minus Apostolicæ deputantur pro consanguinitate doctrinæ. *cap.*32.

XXII.

Vnde extranei & inimici Apostolis, nisi ex diuersitate doctrinæ, quam vnusquisq; de suo arbitrio aduersus Apostolos protulit aut recepit? *cap.*37.

XXIII.

Nihil interest illis, licet diuersa tractãtibus, dum ad vnius veritatis repugnationem conspirent. *cap.*41.

XXIV.

Ordinationes eorum temerariæ, leues, inconstantes: nunc neophytos collocant, nunc sæculo obstructos, nunc apostatas nostros, vt gloria eius obligent, quia veritate non possunt. *Ibidem.*

XXV.

Loquacitatem facundiam existimant: impudentiam constantiam deputant: & maledi-

çere singulis officium bonæ conscientiæ iudiçant. *Aduers. Hermogenem, cap.* 1.

XXVI.

Hæreticorum [*Iesuitarum*] patriarchæ philosophi. *cap.* 8. Iis ferè mos est simplicia quæq; torquere. *cap.* 19. Simplicitatē communium verborum torquent in quæstionem. *cap.* 27.

XXVII.

Ne discipulis quidem propriis mysteria sua ante committunt, quàm suos fecerint. Habent artificium quo prius persuadeant quàm edoceant. *Aduers. Valentinianos, cap.* 1.

XXVIII.

Ex conscientia infirmitatis nunquam ordinariè tractant. *De resurrectione carnis, cap.* 2.

XXIX.

Aufer illis, quæ cum Ethnicis sapiunt, vt de Scripturis solis quæstiones suas sistant, & stare non poterunt. *cap.* 3.

XXX.

Nos rhetoricari quoque prouocant, sicut etiam philosophari. *cap.* 5.

XXXI.

Scripturæ ignem alienum imponentes, hoc est sensum & intelligentiam alienam à Deo, & veritati contrariam, introducentes, incensum Domino non suaue sed execrabile offerunt. *Origenes in lib. Numerorum, homilia* 9.

XXXII.

Hæreticorum voces si adhibeamus ad altare Dei,

Dei, vbi diuinus ignis eſt, vbi vera fidei prædicatio, melius ipſa veritas ex falſorum comparatione fulgebit. Si enim apponam dicta cuiuſlibet hæretici, & hæc ſermonibus veritatis ac Scripturarum diuinarum teſtimoniis, velut diuini altaris igne confutem, nonne euidentior eorum ex ipſa comparatione apparebit impietas? *Ibidem*.

XXXIII.

Nouiſſimis temporibus atque in vltimo ſæculo, Satan mille modis ac multipliciter dimicat, congreditur & tentat, inſidiatur, ſeducit atque ſubuertit, per multitudinem hæreſium, per innumeros errores, per abundantes ſeductores, per pſeudoChriſtos [*pſeudoIeſuitas*] ac pſeudodoctores, quibus hic mundus repletus eſt, quos nequiſſimus ſeminauit, quos atrociſſimus ille produxit, quos maligniſſimus fecit, qui venerunt & veniunt in verbo Domini, in veſtitu ouium, intrinſecus autem ſunt lupi rapaces, nomen Chriſtianorum habentes atque ſpeciem pietatis, ſed erroribus, impietatibus atque ſeductionibus referti. *In Iobum, lib.* I.

XXXIV.

Iſti ſunt veræ ianuæ mortis & viæ inferni. Iſti ſunt qui à veritate plurimos præuaricantur, & à fide innumeros aberrare faciunt. Iſti ſunt miniſtri maligni Diaboli atque nuncii veritate carentes. Iſti ſunt cæci duces cæcorum. Iſti ſunt nubes ſine aqua,

nebula à tempestate fugata, quibus caligo interiorum tenebrarum dignè seruatur ac custoditur. *Ibidem.*

XXXV.

Differunt quasi de Euangeliis, & quasi de Apostolis, traditionũ suarum fabulas proprio corde exponentes, non in corde Spiritus sancti. Neque enim possunt dicere, Nos autẽ sensum Christi habemus, vt videamus ea quæ à Deo donata sunt nobis. *In Ezechielem, homil.* 2.

XXXVI.

Vide mihi aliquem cuiuslibet falsi dogmatis defensorem, & considera quomodo idola sua, id est figmenta quæ ipse composuit, mansuetudine & castitate vestiat, vt in aures audientium facilius ex vitæ bonitate ornatus sermo subrépat. Cùm hoc fecerit, intellige eũ assumpsisse vestem variam morum, & idolis subiecisse quæ ipse construxit. *In eundem, homil.* 7.

XXXVII.

Cùm prius errorem falsæ doctrinæ pro veritate susceperint, & hanc esse veritatem apud semetipsos iudicauerunt, tunc demum & ceteris hæc persuadere conantur, quę apud semetipsos vera esse censuerunt. *lib.* 3. *De Principiis, cap.* 3.

XXXVIII.

Qui per suam indocilitatem & iniustitiam cum multa temeritate seipsos dederũt ad professionem docendi priusquam discerent & agnoscerent veritatem, & propterea vanas fabulas Iudaicas imitantes tradunt corporales histo-

historias Scripturarum & non sensum spiritualem aut voluntatem earum, & adhuc detrahunt eis qui Christo consurrexerũt & quæ sursum sunt in Scripturis requirunt, & non super terram, nec in terrenis Scripturarum positam existimant veritatem: eludunt quantum ad se ante homines regnum cœlorum, eludentes illud iniustitia sua, & trahentes ad se eos qui poterant, audientes diuiniorem & maiorem doctrinam & altitudinem veritatis, intrare per cœlestes doctrinas & per conuenientes eis actus in regnum cœlorum. *Tract.25.in Matth.*

XXXIX.

Frequenter considerandi sunt huiusmodi homines, qui in rebus leuissimis religionem suam ostentant. Rectè eos Christus hypocritas appellat. Volentes enim religiositatem acquirere coram hominibus, nolunt suscipere religiositatem illam quam Deus iustificauit. *Ibidem.*

XL.

Calices sunt à foris, quasi mundati propter speciem religionis quam simulant: ab intus autem pleni rapina & seductione quibus homines rapiunt ad errorem, & lupi rapaces sub pellibus ouium latitantes, & simplicium animas deuorantes, qui videre non possunt eos esse lupos rapaces propter ouilium pellium tegumẽtum. *Ibidem.*

XLI.

Sicut sepulchra sunt plena ossibus & omni immunditie, sic & illi pleni sunt hypocrisi &

iniquitate, non in vna aliqua re ſimulantes, neque in conſpectu vnius in omni vita ſua, quamuis & hoc eſſet peſſimum malum: ſed omnibus diebus vitæ ſuæ in ſimulationibus viuunt, & aliud quidem ſunt, aliud autem eſſe putantur. Sunt laſciui quidam intus; extra autẽ caſtos ſe eſſe oſtendunt, ſimulatores caſtitatis & virginitatis fictores. Alii ſimulatores iuſtitiæ, cùm ſint intus iniqui: alii aliarum virtutum ſimulatores exiſtunt; cùm intus contrariis vitiis repleti ſint. Sunt quidam & martyrii ſimulatores: quidam autem epiſcopatus, vel presbyteratus, vel diaconatus, vel eccleſiaſticæ ſcientiæ vel doctrinæ; tantùm perſonas & oſtentationẽ virtutum habẽtes, verè autem ſunt inimici earundem virtutum quas ſimulant. *Ibid.*

XLII.

Circumeunt domos, loquentes ad gratiam cum omni adulatione & deceptione, non vt in verbo Dei animas ædificent, ad virtutem, ſed vt adulatoriis dulcibuſq; ſermonib. permanere, vel etiam proficere eas hortentur in vitiis, laudantes & bona dicentes ea quę correptione digna ſunt: ponentes lucem tenebras, & tenebras lucem, dulce amarum, & amarum dulce, & in his ſeducunt corda innocentium. *In Epiſt. ad Rom. cap.* 16. *lib.* 10.

XLIII.

In perniciem fratrum lingua ſua perſtrepũt, & facundiæ venenatæ iacula contorquẽt, magis duri ſæcularis philoſophiæ prauitate quàm philo-

philoſophiæ dominicæ lenitate pacifici. *&c.* *Cyprianus, Epiſt.* 1. *lib.* 1.

XLIV.

Venenatam rabiem ſuam quotidie furioſa voce teſtantur. *Epiſt.* 3.

XLV.

Sicut presbyteri Suſannam pudicam corrũpere conati ſunt, ſic & hi adulterinis doctrinis Eccleſiæ pudicitiam corrumpere & veritatem Euangelicam violare conantur. *Epiſt.* 8.

XLVI.

Vel furori ſuo vel libidini ſeruientes, & diuinæ legis ac ſanctitatis immemores, iactitare interim geſtiunt quæ probare non poſſunt: & cùm innocentiam deſtruere atque oppugnare non valeãt, ſatis habent fama mendacii & falſorum ore maculas inſpergere. *lib.* 2. *Epiſt.* 20.

XLVII.

Ad nos ſæpè ſtudio magis contradicendi quàm vota diſcendi veniunt, & clamoſis vocibus perſonantes malunt ſua impudenter ingerere, quàm noſtra patienter audire. *Contra Demetrianum.*

XLVIII.

Dũm ſibi appropinquaſſe iam lumini atque euaſiſſe ſæculi noctem videntur, alias neſcientibus tenebras inimicus rurſum infundit, vt cũ Euãgelio Chriſti & cũ obſeruatione eius & lege non ſtãtes, Chriſtianos [*Ieſuitas*] ſe vocẽt, & ambulantes in tenebris habere ſe lucem exiſtiment, blandiente aduerſario atque fallente,

qui ſecundum Apoſtoli vocem transfigurat ſe velut angelum lucis, & miniſtros ſubornat ſuos velut miniſtros iuſtitiæ, aſſerentes noctem pro die, interitum pro ſalute, deſperationem ſub obtẽtu ſpei, perfidiam ſub prætextu fidei, Antichriſtum ſub vocabulo Chriſti, vt dum veriſimilia mentiuntur, veritatem ſubtilitate fruſtrentur. Hoc eò fit, dum ad veritatis originem non reditur, nec caput quæritur, nec magiſtri cœleſtis doctrina ſeruatur. *De ſimplicitate prælatorum.*

XLIX.

Corruptores Euangelii atque interpretes falſi extrema ponunt, & ſuperiora prætereunt, partim memores, & partim ſubdolè corrumpentes. *Ibidem.*

L.

Ne ſuæ artes intereant, ac ne ipſes exiguas conſultoribus excutiant iam raris, ſi quando rẽ venire in inuidiam compererunt, indignantur, declamitantque: In templis iam raritas ſumma eſt. Iacent antiquæ deriſui ceremoniæ, & ſacrorum quondam veterini ritus religionũ nouarum ſuperſtitionibus occiderũt: meritò humanum genus tot miſeriarum anguſtiis premitur, tot laborum excruciatur ærumnis. *&c. Arnobius, lib.*1. *aduerſus Gentes.*

LI.

Cùm nobis intenditis auerſionem ex lege priorum, cauſam conuenit vt inſpiciatis, non factum: nec quid reliquerimus opponere, ſed

ſecuti

ſecuti quid ſumus potiſſimum contueri. Nam ſi mutare ſententiam culpa eſt vlla, vel crimen, & à veteribus inſtitutis in alias res nouas voluntateſque migrare: criminatio iſta & vos ſpectat, qui toties vitam conſuetudinemque mutaſtis: qui in mores alios atque alios ritus priorum condemnatione tranſiiſtis. *libro* 2.

LII.

Multi ſuperſtitionibus variis pertinaciter inhærentes, obdurant ſe contra manifeſtam veritatem, non tam de ſuis religionibus, quas prauè aſſerunt, bene meriti, quam de ſe malè: qui cùm habeant iter rectum, deuios ſequũtur anfractus, planum deſerunt vt per præcipitium labantur, lucem relinquunt, vt in tenebris cæci ac debiles iaceant. *Lactantius Inſtitutionum Diuinar. lib.*1.*cap.*1.

LIII.

Horum leuitas instructa dicendi facultate & copia, incredibile eſt quantas mendaciorum nebulas excitauerit. *cap.*15.

LIV.

Tanta [*hos*] homines imaginum cupiditas tenet, vt iam viliora ducãtur illa quæ vera ſunt: auro ſcilicet, gemmis & ebore delectãtur. Horum pulchritudo ac nitor perſtringit oculos: nec vllam religionem putant, vbicunque illa non fulſerint. *lib.*2.*cap.*6.

LV.

Veniunt ad Deos [*Diuos*] non tam religionis gratia, quæ nulla poteſt eſſe in rebus malè par-

tis & corruptibilibus, quàm vt aurum oculis hauriant, nitorem læuigati marmoris aut eboris aſpiciant, vt inſignes lapillis & coloribus veſtes, vel diſtincta gemmis fulgentibus pocula inſatiabili contemplatione contrectent. Et quantò fuerint ornatiora templa, & pulchriora ſimulachra, tantò plus maieſtatis habere creduntur. adeò religio eorum nihil aliud eſt, quàm quod cupiditas humana miratur. Hæ ſunt religiones, quas ſibi à maioribus traditas, pertinaciſſimè tueri, ac defendere perſeuerant: nec conſiderant quales ſint, ſed ex hoc probatas atq; veras eſſe confidunt, quòd eas veteres tradiderunt: tantaque eſt auctoritas vetuſtatis, vt inquirere in eam ſcelus eſſe ducatur. Itaque creditur ei paſſim, tanquam cognitæ veritati. *Ibidem.*

LVI.

Cùm ſapere, id eſt, veritatem quærere, omnibus ſit innatum: ſapientiam ſibi adimunt, qui ſine vllo iudicio inuenta maiorum probãt, & ab aliis pecudum more ducuntur. Sed hoc eos fallit quòd maiorum nomine poſito, non putant fieri poſſe, vt aut ipſi plus ſapiant, quia minores vocantur: aut illi deſipuerint, quia maiores nominantur. *cap. 7.*

LVII.

Non eſt apud me dubium quin hoc opus [*complectens doctrinæ Ieſuiticæ capita quædam & refutationes*] ſi quis attigerit ex iſtis ineptè religioſis

giosis, vt sunt nimia superstitione impatientes, insectetur etiam maledictis, & vix lecto fortasse principio, affligat, proiiciat, execretur, seq; inexpiabili scelere contaminari, atque astringi putet, si hæc aut legat patienter aut audiat. *lib.5.cap.1.*

LVIII.

Ab his, si fieri potest, humanitatis iure postulamus, vt non prius damnent quàm vniuersa cognouerint. Sed noui hominum pertinaciam: nunquam impetrabimus. Timent enim ne à nobis reuicti, manus dare aliquando, clamante ipsa veritate, cogantur. Obstrepunt igitur, & intercedunt ne audiant, & oculos suos opprimunt, ne lumen videant, quod offerimus. &c. *Ibidem.*

LIX.

Audent homines improbissimi iustitiæ facere mentionem, qui feras immanitate vincunt, qui placidissimum Dei gregem vastant. *cap.9.*

LX.

Nullus pudor apud eos superest, à quibus abest omnis humanitas, & retorquent in homines iustos conuitia sibi congruentia. Impios enim vocant, ipsi scilicet pii & ab humano sanguine abhorrentes, cùm si & actus suos considerent & illorum, quos tanquam impios damnant, iam intelligent quàm mendaces sint: & iis omnibus, quæ aduersus bonos aut dicunt aut faciunt, digniores. *Ibidem.*

LXI.

Quidam, probitate ficta, viam ſibi ad potentiam muniunt, faciuntque multa quæ boni ſolent, eò quidem promptius quòd fallēdi gratia faciunt. Sed ii cùm eſſe cœperint proponti ac voti ſui compotes, & ſummum potentiæ gradũ ceperint, tum verò ſimulatione depoſita mores ſuos detegunt, rapiunt omnia, violãt & vexant, eoſque ipſos bonos quorum cauſſam ſuſceperant, inſequuntur, & gradus per quos aſcenderunt amputant, ne quis illos contra ipſos poſſit imitari. *lib.6.cap.6.*

LXII.

Dum contradicendi ſtudio inſaniunt, dum ſua etiam falſa defendunt, dum aliorum vera ſubuertunt, non tantum elapſa illis veritas eſt, quam ſe quærere ſimulabant, ſed ipſi eam potiſſimum ſuo vitio perdiderunt. *lib.7.cap.7.*

LXIII.

Homines ſtolidi, repudiata Dei cognitione & pietate, res quæ non ſunt, rebus quæ ſunt anteponunt, & pro vero Deo ea quæ nulla ſunt Deos ſtatuunt, creaturæ potius quàm Creatori ſeruientes, remque & ſtultam & impiam deſignantes, non aliter quàm ſiquis opera præ opifice admiretur, *&c. Athanaſius, orat. contra Idola.*

LXIIII.

Si ex eorum numero ſunt, qui cùm orthodoxorum ſpeciem habeant, & amplecti videantur quæ à Patribus ſunt edita, diſputãdo tamen ea ſubuer-

ſubuertere moliantur, nihil aliud faciunt quã proximum ſuum potant ſubuerſione lutulenta, verborum pugnis digladiantes, non ad alicuius vtilitatem, ſed ad ruinam hominum ſimpliciorum. *Epiſt.ad Epictetum,contra hæreticos.*

LXV.

Eorum inſania in id barathri recidit, vt ſenſus non amplius integros, & incolumes retineant: ſed prorſus mentem vndecunq; vitiatam reportant. *Ad Adelphium,contra Arianos.*

LXVI.

Videntes ſe eſſe vndecunque notatos infamiaque conſcribillatos, ipſorumq; falſum dogma apud omnes abominabile fieri, ſcelerum inuentores ſeſe præbent, vt nuſquam remiſſa cum veritate pugna, Chriſti perduelles hoſteſque permaneant. *Ibidem.*

LXVII.

Iſti pro veritate & rerum fide inane ſimulachrum introduxerunt. *Ibidem.*

LXVIII.

Pro moribus ſui imperatoris circumambulant, quærentes quem ex ſimplicioribus deuorent. *Ibidem.*

LXIX.

Iudæ mores imitantur, Dominumq; relinquunt, vt Caiaphæ adhæreant. *Ibidem.*

LXX.

Cum vnaquæq; hæreſis ſui cõmenti parentem habeat eum, qui ab initio peruerſus, & homicida, & mendax fuit, ac pudore tam exoſi

nominis teneatur, pulcherrimum, & quod super omnia est nomen IESV profitetur, Scripturarumq; dictionibus amicitur, & verba quidē profert, veram inde tamen sententiam suffuratur, ac deinde intellectu, quem ipsa confinxit, dolis inumbrato erroneorum homicida efficitur. *Contra Arian. Oratione* 1. *ad Episcopos Ægypti.*

LXXI.

Nihil habent in figmentis suis constituendis quod commune sit cum sacra Scriptura: neque id eos latet: sed tamen ad dolum simpliciorum transformationem vultus ad speciē angeli conformant, eamque verborum indolem præ se ferunt, vt rectum sensum habere videantur, cumq; vbi persuaserint, eò miseros deducunt, vt diuersa alienaq; à Scripturis sentiāt. *Ib.*

LXXII.

Illud prorsus est admirabile omnes in fingēdo diuersa pugnantiaq; inter se adferre, nec alibi nisi in falsitate sibi inuicem consentire & copulari. *Ibid.*

LXXIII.

Quæ nunc scribunt, non cura veritatis scribunt, sed ludi caussa technarumq; gratia id faciunt, ad imposturam hominum, vt mittendis epistolis, animos populorum circa istos occupatos teneant, feriasq; interim habeant & intermissionem non dicendæ caussæ, latenteque ipsorum impietate, tempus locumq; nanciscūtur prorogandæ suæ hæreseos, canceris in modum omnia depascentis. Cuncta igitur mouēt

& tur-

& turbant, neq; vel ita ſuis ipſi decretis acquieſcunt. *Ibid.*

LXXIV.

Tunc cùm inſidiis ſtudent maximoperè ſe ſimulant de fide ſcribere, vt quemadmodũ Pilatus manus lauit: ita & ipſi pios religioſosque in Chriſtum ſcribendo interficiant: ac dum de fide definienda negocioſos ſe fingunt, crimen infamiamq; diuerſæ alienæq; à recta fide opinionis elabantur. *Ibid.*

LXXV.

Pauci numero cùm ſint, volunt tamen ſua præ omnibus valere, & quæ ab ipſis in angulis conflata ſunt, ac proinde ſuſpecta, rata eſſe, ſummam vim adhibentes, vt diſſoluant & irritã faciant totius orbis ſedulam & ſynceram Synodum. *Ibid.*

LXXVI.

Etſi ſublimes magnificosq; ſe faciunt, etſi maiores Phariſæis fimbrias ſibi alligant, dilatantq; ſe verborum ſonitu & vim vocisque tenorem probè meditatum habent, nullam ob id fidem meruerint. *Ibid.*

LXXVII.

Occultant animum, ac deinde in ſcribendo Scripturarum verbis pro eſca vtũtur, vt latenter in ſuam malitiam pertrahant ignaros. *Ibid.*

LXXVIII.

Iſta omnium ſectarum vltima, & nunc recẽs egreſſa, doloſa & vafra, cùm videret ſorores ſuas ceteras (inquã ſectas ætate grandiores publicè palamque probroſas haberi, ſpeciẽ ſuam diſſimulat, & litterarum ſacrarum verbis, quaſi

honesto cultu induitur, vt pater eius Diabolus: ac satagit denuo intrare in paradisum Ecclesię, quo sub specie Christianismi [*Iesuitismi*] nõnullos seducat, vt credibilitate falsarum rationum persuasi, contra Christum sentiant. Veris enim rationibus nihil est apud illos firmum & stabilitum: imò quod peius est, iam nonnullos insipientes circumuenerunt, tantoq; errore compleuêre, vt non solùm auribus delirent, sed ad Euæ imitationem oblata degustent, & à degustatione cæci, captiq; sensibus, amara dulcia esse arbitrentur, & abominabilem sectam pulchram existiment. *Oratione 2. contra Arianos.*

LXXIX.

Ex sacris eloquiis cauillationes suas conficiunt, & sacra eloquia vi ad suam sententiã falsis interpretationibus detorquent. *Ibidem.*

LXXX.

Veluti sues & canes in vomitus sui volutabra sese versantes, alia atque alia adinueniunt, commenta suæ impietatis. *Sermone 3. contra Arianos.*

LXXXI.

Confutati non quiescunt, neque perplexi inopesq; quod respondeant pudefiunt, sed planè meretricio vultu depuduerunt aduersus omnes in impietatib. suis. *Contra Arianos, serm. 4.*

LXXXII.

Hæreticus, vt res ipsa docet, prauũ omnino, & vndequaq; corruptum animum ad impietatẽ habet. Ecce n. vbiq; refutati, declaratiq; nullius scientiæ esse, erubescere tamen nequaquã possunt:

possunt: sed quemadmodum in fabulis Ethnicorum celebrata hydria, sublatis prioribus serpentibus, aliisque pullulantibus, peruicaciter contendebat nouo semper obiectu anguium contra eum qui ipsi suos serpentes tollebat: ita quoq; isti homines animo Ethnico, deiecti ab aliis quæ obiiciebāt, alias reperiunt stultas controuersias, & quasi veritatem hostem haberēt, comminiscuntur noua, vt ita se magis Christi perduelles & oppugnatores declarent: quippe qui post tot refutationes, quibus vel Diabolus ipse reiectus confususq; retrò abiisset, rursum ex peruerso corde noua alia comminiscuntur, & his quidem admurmurant, istis verò insusurrant, alios rursum veluti culices bombo circumstrepunt. *Ibidem.*

LXXXIII.

Quemadmodum sepiæ atramentum, ita simplicioribus tenebras offundunt, ipsi interim sui dogmatis nequaquam obliti. *Ibidem.*

LXXXIIII.

Si benè fidant suæ sectæ, verbisq; quæ loquuntur, nudam nobis suam hæresin proferant, ostendantq;, si quid pro ea defendenda, vel ex sacris litteris, vel ex aliqua humana saltē ratione, quæ quidem pia sit, deducere possint, aut si non possint taceāt. Nusquam enim quicquam inuenturi sunt, nisi quod faciat ad grauiorem ipsorum refutationem, saltem ex Scripturis sacris. *Epistola contra Arian. de sententia Dionysii Episcopi Alexandrini.*

LXXXV.

Illi, quàm nihil sit fiduciæ in sua secta certi, ad mendacia de piis hominibus [*veteris Christiana Ecclesiæ pastoribus & doctoribus*] fingenda confugiunt. *Eadem epist.*

LXXXVI.

Illi in comminiscendis vitilitigationibus nihil alienum à prauitate suæ indolis faciũt: neq; id mirũ, cùm tam vario sint & versipelli animo quàm Chamæleontes sunt in mutãdis coloribus, quippe quibus tantisper pudor adsit dum refutantur, inopia hæsitationeq; respondendi, sed mox tamen resumpta audacia ad confiscationes fingendas recurrant: quos si denuò cõuincas, fatiscunt illi quidẽ, verùm non diutius quàm vt denuò ea quæ nusquam sunt, mendaciis fingãt. &c. *Epistola de decretis Synodi Nicenæ.*

LXXXVII.

Multi, qui videri volunt discipuli Iesu, non modo non faciunt quæ ab eo præcipiuntur, sed & magistro insidias ponunt vt proditor Iudas. *Sermone in illud, Profecti in pagum. &c.*

LXXXVIII.

Vt dictis suis fidem facerent, damnantes dicta & vitia hæreticorũ, pias Ecclesiæ prædicationes velamento professionis impiæ furati sunt, vt correctis in melius verbis irreligiosorum, & ambigua significatione moderatis, sub impietatis damnatione doctrinam pietatis extinguerent. *Hilarius lib. 1. de Trinitate.*

Cœle-

LXXXIX.

Cœlestium verborum simplicitaté pro voluntatis suæ sensu, non pro veritatis ipsius absolutione susceperunt aliter interpretanda, quàm dictorum virtus postularet. De intelligentia enim hæresis, non de Scriptura est, & sensus non sermo fit crimen. *lib.* 2.

X C.

Videntur sibi de singulis quæ asserunt præstare rationem, quia singulis assertionibus suis quædam ex diuinis voluminibus testimonia subdiderunt, quæ corrupto intelligentiæ sensu solis tantum ignorantibus blandiantur, speciem veritatis secundum prauitatem interpretantium præstitura. *lib.* 4.

XCI.

Grauis & periculosus est error in plurimis, & multorum lapsus: etiamsi se intelligat, tamen exurgendi pudore autoritatem sibi præsumit, ex numero habens hoc impudentiæ, vt quod errat, prudentiã velit existimari: & quod cum multis errat, intelligentiam esse asserat veritatis, dum minus erroris esse existimatur in multis. *lib.* 6.

XCII.

Incredibilibus se corrupti ingenii artibus hæretica subtilitas circumegit: primùm vt fingeret religionem, deinde vt omnium simplicium aurium securitaté verbis falleret, tum præterea vt se prudentiæ sæculi coaptaret, postremò vt veritatis intelligentiam per speciem

editæ rationis auerteret. *Item.* Nostris aduersum nos vsa doctrinis, & Ecclesiæ fide contra Ecclesiæ fidem pugnans, grauissimo aduersus nos vel responsionis vel silentii periculo comparato, per ea quæ non negantur ea prædicat quæ negantur. *lib.7.*

XCIII.

Multi sunt, qui simulantes fidem non subditi sunt fidei, sibiq; fidem ipsi potius constituunt quàm accipiunt, sensu humanæ inanitatis inflati, dum quæ volunt sapiunt, & nolunt sapere quæ vera sunt, cùm sapientiæ hæc veritas sit, ea interdũ sapere quæ nolis. *Item.* Homines mente peruersi, & professione fallaces, & spe inanes, & sermone viperei, contradicendi nobis necessitatem imponunt, dum lethales doctrinas, & morbidas intelligentias, & corruptas voluntates, simplicitati audientium per speciem religionis insinuant. *lib.* 8.

XCIV.

Vt bonis & prudentibus viris naturæ ac studii est, totos se ad beatæ spei alicuius obtinendam vel rem, vel tempus præparare, ne in aliquo minor sit expectatione procinctus: ita istis maximæ sollicitudinis est toto aduersus piæ fidei veritatem impietatis suæ ingenio laborare, vt aduersus eos qui religiosi sunt vincant esse irreligiosi, & vltrà spem vitæ nostræ vitæ suæ desperatione potiores sunt, & plus impendunt cogitationis ad falsa, quam nos doctrinæ aptamus ad vera. *Eodem libro.*

XCV.

XCV.

Proficit ſemper contradictio eorum ad ſtultitiæ demonſtrationem, quia quæ ingenio inſipientis aut peruerſæ intelligentiæ aduerſus veritatem coaptantur, dum eſt inconcuſſa & immobilis, neceſſe eſt, vt quæ è diuerſo ſunt, & falſa intelligantur & ſtulta. *Eodem libro.*

XCVI.

Sequitur fidei defectionem hypocriſis mendax, vt ſit vel in verbis pietas quam amiſerat conſcientia. Et ipſam quidem ſimulatam pietatem omni verborum mendacio impiam reddunt, falſæ doctrinæ inſtitutis corrumpentes ſanctitatem fidei, dum ſecundum deſideria ſtudiorum potius quàm ſecundum Euangelicam fidem doctrina coaceruata eſt. Auribus enim prurigine incitatis, dum per audiendi impatientem oblectationem ſub nouella deſiderii ſui prædicatione ſcalpuntur, ipſi penitus ab auditu veritatis alieni, totos ſe fabulis deſtinant, vt his quæ loquuntur veritatis ſpeciem acquirant, dum quæ vera ſunt & loqui & audire non poſſunt. *libro* 10.

XCVII.

Callidi & aſtuti artificio quodam vtuntur, incluſam pernicioſam corruptelam exquiſitorum verborum velamine contegunt. Non prius virus infundunt quàm ſimplices & innocentes ſub prætextu nominis Chriſtiani raptos atq; irretitos inuoluant, ne ſoli pereant, ſed participes criminis ſui reos faciant. *lib.2.ad Conſtantium Auguſtum.*

XCVIII.


Impietatis iſtius hinc vel præcipuè perpetua cauſſa eſt, quòd fidem Apoſtolicam ſeptuplo proferentes, ipſi tamen fidem Euangelicam nolunt confiteri, dum in populis impietates ſuas multiloquiis defendunt, & magniloquentiæ vanitate aures ſimplicium verbis fallentibus illudunt, dum euitant domino de Chriſto eà credere quæ de ſe docuit credenda: & per ſpecioſum pacis nomen in vnitatem perfidiæ ſubrepunt, & ſub reiiciendis nouitatibus rurſum ipſi novis ad Deum vocibus rebellant, & ſub Scripturarum vocabulo non ſcripta mentiuntur. &c. *lib. 3. ad eundem.*

XCIX.

Iſti ſibiipſis inter loquendum ſubſtratis quæcunq; voluerunt, & iis quæ inde conſequuntur aſſumptis, ſeipſos poſtea in cogitationes abſurdas detrudentes, hinc ſeſe demonſtraſſe putant, ſua placita neceſſariò recipienda. *Baſilius Magnus, lib. 1. aduerſ. Eunom.*

C.

Quoties iſti perperam aliquid dicere aggrediuntur, aſſumere ſolent initio nonnulla ab omnibus conceſſa, vt ex eo quod bene in iis ſentiunt, fides etiam ipſis in ceteris habeatur. *Eodem lib. 1.*



CHARACTERVM IESVITICORVM

CENTVRIA TERTIA.

I.

SCRIPTVRAS, quæ multifariam ac multis modis intelliguntur, simpliciter considerantes [*idest, ad vnicum & proprium sui ingenii sensum accommodantes*] excidunt, cùm bene duci non patiantur. Et quod mirum est, Scripturæ quæ iuuant eos qui per fidem valẽt, officiunt istis qui circa quæstiones ac inutiles contentiones ægrotant. *Item.* Quærunt non vt fidem, sed vt infidelitatem inueniãt. *Basilius Magnus, lib. 5. contra Eunomium.*

II.

Curiosa istorum hominum circa syllabas ac dictiones obseruatio, haudquaquam simplex alicui videri possit, neq; ad mediocre tendens malum: sed profundum atq; obtectum habet aduersus pietatem consilium. *Idem, de Sp. S. ad Amphiloch. cap. 2.*

III.

Quoniam Sophisticen didicerunt, & vt præclara mirantur quæ didicerunt, obseruationes ex frustranea Philosophia, eque inani deceptione sumptas ad simplicem artificii ignaram doctrinam transferunt. *cap. 3.*

IV.

Nos architectos nouitatis, & nouos tractatores ac verborum adinuentores, & quibus nõ probrosissimis nominibus appellant. Quorum conuicia tantum abest vt indignè feramus, vt ni nos ipsorum calamitas dolore perpetuoque cruciatu afficeret, propemodum dicerem nos illorum maledictis gratiam habere, vt qui nobis conciliant beatitudinem. *cap. 6.*

V.

Qui consueta fastidiunt, ac vetera [*Prophetica & Apostolica dicta*] tanquam obsoleta submouent, ii sunt qui nouas vocum fictiones recipiunt: quemadmodum qui in cultu studiosi sunt ornatus, semper nouam formam præferunt communi. *Item.* Istorum verba ex noua sapientia inusta sunt ab ipsismet, qui in artificio pugnisq; verborum detriti sunt. *cap. 7.*

VI.

In nos machinas & insidias struunt, seque mutuo exhortantur ad ferendas suppetias, vt quisque peritia aut robore valet: ceterùm id quod oppugnatur fides est, isque scopus communis est omnibus, vt soliditatẽ fidei in Christum labefactent, Apostolicam traditionem solo æquatam abolendo. *cap. 10.*

VII.

Illorum verba talia sunt, qualia solent esse hominum ira commotorum, qui ob rationem affectu obscuratam, à nullo temperant quod ad vlciscendum eum à quo offensi sunt, faciat. *cap. 11.*

VIII.

VIII.

Impossibile est vt litteris nostris accusantium nos ora cohibeamus: imò credibilius est, nostris illos apologiis irritari quoq;, vt maiora ac peiora contra nos machinentur. *Item.* Vigilãt illi in hoc vt nobis noceant. *Item.* Nundinariam vitam exercentes, quæstuariam sibi reddunt, quam nobis intentant calumniam. *Epistola* 73.

IX.

Quemadmodũ Æsopica fabula lupum culpas quasdam aduersus agnũ producere, quasi is turpe sibi ac dedecorosum fore putet, si præter istam rationem interimat agnum, à quo nihil sit læsus: & tamen, licet omnem ex calumnia intentatam accusationem agnus placidè diluat, nihilo magis lupum ab impetu sibi temperare, sed etiam si iustis rationibus vincatur, dentibus tamen victorem euadere facit: ita & isti qui odio nostri non secus atq; rei honestæ, student, turpe forsan putantes si absq; ratione nos odio persequi videantur, caussas odii contra nos & crimina fingunt. &c. *Epist.* 80.

X.

Hoc illis perpetuo studio agitur, ne ex diuinis Scripturis simpliciorum animi ritè doceantur, sed vt per extraneam Philosophiam veritas refellatur. *Epist.* 141.

XI.

Ob imperitiam eiusque comitem temeritatem, aduersus omnem sermonem porcorum in modum ruunt, ac pulchras veritatis margari-

tas conculcant. *Gregorius Nazianzenus*, *Apologetico de fuga*, *orat.* 1.

XII.

Veritatis doctrinam adulterant, ac vinum aquæ miſcent, hoc eſt doctrinam cor hominis exhilarantem cum vili & vulgari, humiq; ſerpente & euanida, fruſtraq; & temerè fluente (vt ipſi ex hac cauponandi ratione obiter aliquid elucrentur) aliasq; alio modo cum iis, qui ad ipſos accedunt, verba faciunt, omnibusque aſſentantur, ventriloqui ſanè quidem & vaniloqui, voluptatibus ſuis ſeruientes, verbis è terra prolatis, & in terram peſſum euntibus, vt maximam apud vulgus gloriam & nominis celebritatem conſequantur, maximis ſeipſos damnis afficientes, aut etiam omninò perdentes, atque innoxium ſimpliciorum animarum cruorem effundentes, de effundentium manibus aliquando requirendum. *Eadem oratione.*

XIII.

Res noſtras, tàm benè quàm malè ſe habentes, ſtudioſè ac diligenter obſeruant, non vt iudicent, ſed vt improbent: nec vt nobis gratulentur, ſed vt inſultent, atq; & bona calumnientur, & mala tragicis verbis exaggerent, atque ab alienis lapſibus excuſationem vitiis ſuis quærant. *Orat.* 2. *de pace.*

XIV.

Suorum quidem manſueti & placidi iudices ſunt, alienorum autem ſeueri cenſores, vt

hîc

hîc quoq; fucũ veritati faciant. Vibices nobis probro dant, cùm ipsi vulnera habeant: offendicula nostra exagitant, cùm turpiter ipsi prolabantur: maculis nostris gaudent, cùm ipsi in cœno volutentur: festucas nobis obiiciunt, cùm interim ipsi trabium mole oppressi caligent. *Eadem oratione.*

XV.

Paupertatem nobis exprobrant, opesq; suas insolenter iactant: Ecclesiam multitudine definiunt, ac paruum gregem aspernantur: populum velut ad lancem appendunt: arenam in pretio habent, & mundi lumina contumeliis afficiunt: deniq; lapides aggerunt, & gemmas contemnunt. *Orat. 25. ad Arrianos, & de seipso.*

XVI.

Sunt quidam quibus non aures duntaxat, sed etiam lingua, atque adeò manus quoque ipsæ pruriunt, quiq; prophanis vocum nouitatibus & contentionibus falsò nominatæ scientiæ, ac disputationum pugnis, quæ nullam vtilitatem afferunt, oblectantur. Hi verò, vtinam quemadmodum linguam volubilem habent, atque in nobilioribus & probatioribus verbis insectandis acrem & vehementem, sic etiam in agendo nonnihil saltem, aut etiam æquè, operam collocarent. Id quod si facerent, minus vtique cauillatores essent, nec tam absurdè atque insolẽter in verbis, perinde atq; in aleæ ludo, versarentur. *Orat. 33. quæ est 1. de Theologia.*



XVII.

Summo ſtudio res noſtras explorant, nihilq́; auidius expetũt quàm vt malorum noſtrorum ſcintillæ in flammam ſurgant, quas etiam furtim exuſcitant atq; accendunt, auræq́; ſuæ afflatu in cœlum attollunt; & Babylonica flamma, in orbem omnia populante, ſublimiorem reddunt. Quoniam enim in ſuis dogmatibus nihil ſibi præſidii roborisq́; conſtitutum vident, hoc in noſtrarum rerum imbecillitate venantur. Ac proinde quemadmodum muſcæ vulneribus, ita noſtris calamitatibus, aut (ſi mauis) erratis imminent. *Eadem oratione.*

XVIII.

Aranearum telis infirmiores illaqueant, ex eoq́; ſibi ſcitum aliquid ac præclarum facere videntur. Dialecticorum agmen nobis ex tempore producunt, non aliter ac fabulæ olim gigantes. Leuiſſimos quoſque viros ac virorum nomine indignos, velut colluuiem quandam, in vnam voraginem cogentes, ac verborum illecebris magis ac magis effeminantes, nouam ex ipſis impietatis officinam condiderunt, aſtutè interim eorum amentia ad vtilitatem ſuam abutentes, ex eaq́; meſſem facientes. *Eadem oratione.*

XIX.

Quos non poſſunt ſermone decipere, eos putant gladio eſſe feriendos. Cruentas leges ore dictant, manu ſcribunt, & putant quòd

lex

lex fidem poſſit hominibus imperare. *Ambroſius in Auxentium, de non tradendis Baſilicis. Tom.* 3.

XX.

Chriſtus nobis pignus Spiritus dedit, id eſt Spiritus ſancti donatione nos ditauit. Si quis ergò Chriſtianorum hoc donatiuo contentus fortè non fuerit, & quærit amplius, incipit hoc ipſo carere quod meruit. Quod ſpecialiter cõtingit hæreticis. Dum enim neſcio quid amplius quærunt, inuenientes erroris Spiritum, gratiam Spiritus ſancti perdiderunt. *Serm.* 7. *Tom.* 3.

XXI.

Narratores ſuperflui, ſicut hirundines, diſputationis ſuauitatem loquacitatis continuatione corrumpunt. Superflua loquitur hæreticus. Qui non loquitur veritatem, non loquitur ſecundum legem. *Tom.* 4. *Serm.* 11. *in* 118. *Pſalmum.*

XXII.

Multi fures ſunt qui verbum Dei non ad vtilitatem ſuam furantur & rapiunt: ſed ad fraudem cœleſtium Scripturarum in ſua furta detorquent, adulterina ſibi compendia colligentes, dolo magis quàm veritate quæſita. Sed hi ſunt qui miſcent aquam vino, tanquam caupones peſſimi, adulterantes ſermonem Dei, & in ſincerum proferentes quicquid perfidò & tanquam ebrio ore deprompſerint: & ideo aliena loquuntur à lege. *Eodem ſerm.*

XXIII.

Sampſon viuas vulpes ſibi nexuit, ad quarum caudas alligauit faces, & dimiſit eas per meſſes allophylorum: per hanc figuram ſignificans, quòd improbi & fraudulenti homines, & maximè hæretici liberam linguam habeant ad latrandum, ſed exitus impeditos, aut religioſa principia, finem verò fraudis ſuæ incendio deputatum. *Eodem ſerm.*

XXIV.

Multi ſunt hæreticorum qui prætendere volunt corporis continentiam, vt aſſertionis ſuæ fidem teſtimonio ſobriæ carnis acquirant. *&c. Tom.* 4. *cap.* 14. *lib. de Noe & Arca.*

XXV.

Lupus eſt, qui humanæ necis inſaturabili crudelitate fidelium morte populorum rabiem ſuam deſiderat explere. *Tom.* 5. *lib.* 7. *commentar. in cap.* 10. *Lucæ.*

XXVI.

Animam petunt, guttur inuadunt, vitalibus vulnus affligunt. Graues ſunt morſus eorum: qui ipſis grauiores & rapaciores beſtiis nullum auaritiæ finem impietatiſque nouerunt. Nec vos moueat quod formam prætendere videntur humanam: etſi foris homo cernitur, intus beſtia fremit. Et ideo eos lupos eſſe non dubium eſt, iuxta Domini Ieſu diuinam ſententiam, qui ait, Attendite vobis à falſis Prophetis, qui veniunt ad vos in veſtitu oui-

um,

um, intus autem ſunt lupi rapaces. Ex fructibus eorum cognoſcetis eos. *Ibidem.*

XXVII.

Vidi ego quoſdam, qui poſtquam renunciauere ſæculo, veſtimentis duntaxat & vocis profeſſione, non rebus, nihil de priſtina conuerſatione mutarunt. Res familiaris magis aucta, quàm imminuta. Eadem miniſteria ſeruulorum, idem apparatus conuiuii. In vitio & patella fictili aurum comeditur, & inter turbas & examina miniſtrorum nomen ſibi vendicant ſolitarii. Qui verò pauperes ſunt & tenui ſubſtantiola, videnturque ſibi ſcioli, pomparum ferculis ſimiles procedunt in publicum, vt caninam exerceant facundiam. Alii ſublatis in altum humeris, & intra ſe neſcio quid cornicantes, ſtupentibusq; in terram oculis, tumentia verba trutinantur, vt ſi præconem addideris putes incedere præfecturam. Sunt qui humore cellarum immoderatisque ieiuniis, tædio ſolitudinis, ac nimia lectione, dum diebus ac noctibus auribus ſuis perſonant, vertuntur in melancholiam, & Hippocratis magis fomentis quàm noſtris monitis indigent. Pleriq; artibus & negotiationibus priſtinis carere non poſſũt, mutatisq; nominibus inſtitorum, eadẽ exercent commercia: non victum & veſtitum, quod Apoſtolus præcipit, ſed maiora quàm ſæculi homines emolumenta ſectantes. Et prius quidẽ ab Ædilibus vendẽti-

um coërcebatur rabies, nec erat impune peccatum. Nunc autem ſub religionis titulo, exercentur iniuſta compendia, & honor nominis [*Ieſuitici*] Chriſtiani fraudem magis facit quàm patitur. Quodq́ue pudet dicere (ſed neceſſe eſt vt ſaltem ſic ad noſtrum erubeſcamus dedecus) publicè extendentes manus, pannis aurum tegimus: & contra omnium opinionem plenis ſacculis morimur diuites, qui quaſi pauperes viximus. *Hieronymus, Tom.1. Epiſtola ad Ruſticum monachum.*

XXVIII.

Nihil eſt grande, triſti & lurida facie, vel ſimulare, vel oſtentare ieiunia: poſſeſſionũ redditibus abundare, & vile iactare palliolum. *Item.* Si cupis eſſe, quod diceris monachus, id eſt ſolus, quid facis in vrbibus, quæ vtique nõ ſunt ſolorum habitacula, ſed multorum? *Item.* Quẽ ſenſeris aut ſemper aut crebrò de nummis loquentem, inſtitorem potius habeto quàm monachum. *Epiſt. ad Paulinum.*

XXIX.

Poſtquam nobilium introierunt domos, & deceperũt mulierculas oneratas peccatis, ſemper diſcentes, & nunquam ad ſcientiam veritatis peruenientes, triſtitiam ſimulant: & quaſi longa ieiunia, furtiuis noctium cibis protrahunt. Sunt alii, qui ideo presbyterium & diaconatum ambiunt, vt mulieres licentius videant. *Item.* Quidam in hoc omne ſtudium vitamq́ue poſuerunt, vt matronarum

rum nomina,domos moresq́; cognoſcant. Ex quibus vnum,qui huius artis eſt princeps,breuiter ſtrictimque deſcribam; quò facilius magiſtro cognito, diſcipulos recognoſcas. Cum ſole feſtinus exſurgit, ſalutandi ei ordo diſponitur,viarum compendia requiruntur,& pænè vſque ad cubicula dormientium ſenex importunus ingreditur. Si puluillum viderit,ſi mantile elegans, ſi aliquid domeſticæ ſupellectilis, laudat,miratur,attrectat,& ſe his indigere cõquerens, non tam impetrat, quàm extorquet: quia ſingulæ metuunt vrbis veredarium offendere. *Epiſt.ad Euſtochium.*

XXX.

Hi ſunt fontes ſine aqua, & nebulæ turbinibus exagitatę,quibus caligo tenebrarum reſeruatur. Superba enim vanitatis loquentes pelliciũt in deſideriis carnis luxuriæ eos qui paullulum effugerant, & ad errorem reuerſi ſunt. Nonne tibi videtur ſermo Apoſtolicus nouam imperitiæ factionem notare? aperiunt enim quaſi fontes ſcientiæ, qui aquam non habent doctrinarum,promittunt imbrem,velut nubes propheticæ, ad quas perueniat veritas Dei, & turbinibus exagitantur dæmonum atq; vitiorum. Loquuntur grandia,& totus eorũ ſermo ſuperbia eſt. *Tom.2.lib.contra Iouinianum.*

XXXI.

Ne glorieris quòd multos diſcipulos habeas. Filius Dei docuit in Iudæa,& duodecim tã-

tùm illum Apoſtoli ſequebantur. Torcular, inquit, calcaui ſolus, de gentibus vir nõ eſt mecum. Ille in paſſione ſolus remanſit, & Petri quoque erga eum trepidauit conſtantia: Phariſæorum autẽ doctrinæ omnis populus applaudebat. *&c. Eodem Tom. & libro.*

XXXII.

Semper dulcia pollicentur, & ad modicum placent. Amara eſt veritas & qui eam prædicant, replentur amaritudine. *Eodem libro.*

XXXIII.

Nobis melius viſum eſt, locum mutare, quã fidei veritatem: ædificiorumque & manſionis amœnitatem amittere, quàm eorum communione maculari, quibus in præſentiarũ aut cedendum, aut certè quotidie non lingua ſed gladiis dimicandum. *Tom. 2. epiſt. 55. ad Riparium.*

XXXIV.

Quidam eorum, qui libenter contentiones reperiunt, adſcribunt nobis & noſtræ doctrinæ blaſphemiam: ſuper quo ipſi viderint, quomodo illud audiant, Neq; maledici regnum poſſidebunt. *Eodem Tom. lib. 2. adu. Ruffinum.*

XXXV.

Iſtæ machinæ eorum ſunt, vt cõuicti de perfidia ad maledicta ſe conferant. *Adu. Ruffinum, lib. 3.*

XXXVI.

Fruſtra ſeruis Dei blanditias & dulcedines reſeruaſti, cùm hoc propriè ſit eorum qui decipere

pere cupiunt, audiẽtes dicente Apostolo, Huiusmodi Christo Domino nostro non seruiunt, sed suo ventri. Et per dulces sermones & benedictiones seducunt corda innocentium. *lib.1. Dialogorum adu. Pelagium.*

XXXVII.

Ita infecit [*hæc Secta*] corda multorũ, vt cùm superatos damnatosque esse se sentiant, tamen venena mentium non omittant: & quod solũ possunt nos oderunt, per quos putant se libertatem docendæ hæreseos perdidisse. *Item.* Exceptis verbis tinnulis & emendicatis, nihil aliud loquitur. *Epist.79.ad Alyp.& August.*

XXXVIII.

De purissimo fonte Scripturarum assumentes testimonia, non ita interpretantur vt scripta sunt, sed simplicitatem sermonis Ecclesiastici id volunt significare quod ipsi sentiant. *Epist.60.ad Ioannem Hierosolymitanum.*

XXXIX.

Dispensatio ac libratio ista prudens verborum indoctos decipere potest. Cautus auditor & lector citò deprehendet insidias, & cuniculos, quibus veritas subuertitur, apertè in luce demonstrabit. *Item.* Venena erroris circumlinebant melle verborũ. *Item.* Eadem nunc in veteri & noua hæresi consuetudo seruatur, vt aliud populi audiant, aliud prædicent sacerdotes. *Epist.61.ad Pammachium.*

XL.

Dum inter mulsum magistrorum & venena pariter bibunt, à magistro Apostolo recesserũt,

qui docet etiam angelum, & ſe, ſi in fide errauerint, non ſequendos. *lib. 3. adu. Ruffinum.*

XLI.

Si propter vnum verbum aut duo, quæ contraria ſunt fidei, multæ hæreſes abiectæ ſunt ab Eccleſia, quanto magis hi inter hæreticos habebuntur, qui tantas peruerſitates, & tam multa dogmata, contra fidem adinuenerunt, & Eccleſiæ Dei hoſtes extiterunt. *Eodem libro 3. adu. Ruffinum.*

XLII.

Si fortè ad Scripturas ſanctas, poſt ſæculares litteras venerint, & ſermone compoſito aurem populi mulſerint, quicquid dixerint, hoc legē Dei putant: nec ſcire dignantur quid Prophetæ, quid Apoſtoli ſenſerint. Sed ad ſenſum ſuū incongrua aptant teſtimonia, quaſi grande ſit, & non vitioſiſſimum docendi genus, deprauare ſententias, & ad voluntatem ſuam Scripturā trahere repugnantem. *Tom. 3. Epiſt. ad Paulinū.*

XLIII.

Euangelicam veritatem corrumpunt praua intelligentia, & ſunt caupones peſſimi, facientes de vino aquam. *Tom. 4. in 1. cap. Eſaiæ.*

XLIV.

Tandiu quærunt noua veteribus iungere, & eadem recentioribus immutare, donec & ſenſus humanus & ſermo deficiant. *In 5. cap. Eſaiæ.*

XLV.

Senſu, quem à Deo in bonam partem acceperunt, abutuntur in contrarium atq; peruerſum

ſum, vt loquantur contra eum à quo conditi ſunt,& linguæ miniſterium,quo laudandus eſt Dominus,vertant in blaſphemiam.*In* 10.*caput*.

XLVI.

In montibus ſe eſſe credentes eriguntur cõtra ſcientiam Dei,iniquitatem in Excelſum loquuntur,& ponunt in cælum os ſuum: qui & ipſi habent populos, habent reges, qui deceptũ populum deuorant. *In* 13. *caput*.

XLVII.

Iſti ſunt falſi Apoſtoli, operarii mendaces, qui transfigurantur in Apoſtolos Chriſti, qui bono ſemini lolium ſuperſeminant, dormientibus Eccleſiarum magiſtris, & nolentibus aut nequeuntibus eorum malitiæ reſiſtere. *In idem* 13. *caput*.

XLVIII.

Quis eorum non ſuperbus eſt? qui Eccleſiaſticam deſpiciens ſimplicitatem, ita habet Eccleſiæ homines quaſi bruta animalia,& in tantum ſuperbiæ iniuriæque tumore erigitur, vt contra ipſum Creatorem armet os ſuũ, detrahens Prophetis eius,&c. *In* 16 *caput*.

XLIX.

Non ob dilectionem Domini, ſed ob mercedem cuncta faciunt, qui comedunt domos viduarum, & proprios abducunt greges, vt lanis eorum veſtiantur & lac mulgeant. *Ibid.*

L.

Omnes ſibi cœleſtia repromittunt & pollicentur ingentia.*Item*. Quis angulus eſt,quę ex-

trema ſolitudo terrarum, ad quam non turbidus eorum ſermo perueniat? Omnes qui habitant & morantur in orbe terrarum, ad eorum ſignum, quod quaſi in montibus eleuatum eſt, erigunt oculos ſuos, & clangorem tubæ, id eſt doctrinæ, eorũ audiunt. *Item.* Mittunt in mari huius ſęculi libros, obſides peruerſitatis ſuæ, & epiſtolas ad decipiendos eos qui lecturi ſunt. Pergunt nuncii leues ad gentem excelſam & peregrinum populum & peſſimum. Nulli enim Eccleſiaſticorum tantum habent ſtudii in bono quantum iſti in malo: & in eo ſe lucrum putant conſequi ſi alios decipiant, & ipſi perditi ceteros perdant. *In* 18.*caput.*

LI.

Omnia mercedis cauſſa faciunt, & de gloria Domini ciciderunt, nec ſequuntur tenuitatem mannæ & humilitatem Eccleſiaſticam, ſed in monte pinguiſſimo verſantur ebrii abſque vino. *In* 28.*cap.*

LII.

Mendacium loquuntur contra Dominum: peruertunt animas eſurientes atque ſitientes, & vacuas abire faciunt: vt etiam ſi quid naturaliter boni habeant, magiſtrorum amittant vitio, quorum omne conſilium eſt, vt perdãt humiles iniquis ſermonibus, & diſſipent verba humilium in iudicio. *In* 32.*cap.*

LIII.

Dimiſſo cultu Dei errorum ſuorum ſimulachra venerantur, & illis offerunt victimas & libami-

bamina offundunt: faciẽtes abſconditè, quod turpe eſt etiam dicere, & captiuas ducẽtes mulierculas oneratas peccatis, quæ ducuntur variis deſideriis: ſemper diſcentes, & nunquam ad ſcientiam veritatis peruenientes. *In 57. caput.*

LIV.

De his verè dicitur, Deuorant populum meum velut eſcam panis, & quos Chriſtus nótat deuorantes domos viduarum. *In 3. caput Ieremiæ.*

LV.

Eorum cogitatio eſt vt calumnias ſtruant, & ſanctos viros accuſatione præueniant, nec cogitant quòd illi veritatem loquantur, & quòd iſti ſtruant mendacia: iactant enim in ſacerdotibus, & in ſapientibus, & in pſeudoprophetis ſuis, legem & conſilium Dei, & eloquium permanere. *In 18. caput.*

LVI.

Epiſtolas plenas mendaciorum, & fraudulẽtiæ, atque periurii, in orbem dirigunt, vt & aures polluant audientium, & exiſtimationẽ ſimplicium lædant. Non enim eis ſufficit iniquitatem propriam deuorare, & proximos lædere: ſed quos ſemel oderunt, per vniuerſum orbem infamare conantur, & vbiq; ſeminare blaſphemias. *In 23. caput.*

LVII.

Quia ſolent ſemper proſpera polliceri, & cælorum regna peccatoribus pandere, vt dicãt:

Parata ſunt tibi regna cœlorum: potes imitari maieſtatem Dei vt abſq; peccato ſis. Accepiſti enim liberi arbitrii poteſtatem, & legis ſcientiam, per quam conſequaris quod volueris. decipiuntq; blanditiis miſeros, & maximè mulierculas oneratas peccatis, quę circumferuntur omni vento doctrinæ, &c. *Ibid.*

LVIII.

Nobis agentibus patienter, & exſpectantibus miſerorum ſalutem, præueniunt hæretici, & nos ſuo appellant nomine, cæci ducẽtes cæcos in foueam. *In 29. caput.*

LIX.

Sicut quondam Pſeudoprophetæ falſis vaticiniis & mendacibus promiſſis gentem Iudæorum ſeducebant: ita & nunc hæretici atq; ſchiſmatici fictis opinionibus & doloſis argumentationibus corda ſimplicium à veritate rectæ fidei & ſtatu bonorum operum ſubuertere certant. *lib. 1. Commentar. in 2. caput Lamentationum.*

LX.

Deſpiciunt Sion, & confidunt ſibi in monte Samariæ, in ſuperbia videlicet dogmatum peruerſorum, quæ putant eſſe ſublimia, & per has prædicationes fraudulentas vindemiant atque populantur principia gentiũ, vt miraculo doctrinarum potentes quoſq; gentilium ad errorem hæreticum pertrahant. *In 16. caput Ezechielis.*

LXI.

Quaſi tempeſtas venerunt contra Eccleſiã, & nu-

& nube verborum suorum, simplices quoque credentium opprimere & operire festinant. *In 38. cap.*

LXII.

Congregant diuitias dogmatum in malum suum, & nec repertores vtilitatem aliquã possunt consequi, nec sectatoribus suis fructũ relinquere perpetuum: sed & ipsi & discipuli reuertuntur in terram, & perdunt diuitias ab eo qui dixit, Perdam sapientiam sapientium, & prudentiam prudentium reprobabo. *Tom.5.in 5.caput Ecclesiastis.*

LXIII.

Sagena eorum est sermo affabilis, blandum eloquium, simulata aut coacta ieiunia; vestis humilis, virtutum imitatio. Quod si cœperint de superioribus disputare, & in sublime leuare os suum; & Dei altitudines quærere, laqueum ponunt in excelsis. *In cap.9. Ecclesiastis.*

LXIIII.

Vino inebriantur, quando Scripturas sanctas malè intelligunt atque peruertunt: sicera, quando sæculari abutuntur sapientia & Dialecticorum tendiculis, quæ non tam vincula sunt appellanda quàm vmbræ quædam & imagines, quæ citò pereunt atque soluuntur. Istiusmodi consiliarios maledictio possidebit, qui quæstum putant esse pietatem, & cuncta faciunt propter auaritiam. *Tom.4. lib.9. Comm. in 28. cap. Esaiæ.*

LXV.

Dictum illud, Omnes mensæ eorum repletæ

sunt vomitu, sordibusque, ita vt non sit vltrà locus, ad hæreticos, & ad Scribas, ac Pharisæos sic referri potest, vt vniuersam doctrinam eorum & cuncta mysteria dicamus vomitu plena & sordium, dum Scripturarum sanctarum non digerunt cibos, nec vniuerso corpori faciũt esse vitales, sed immaturos & fœtentes egerunt, ita vt nullum in eis Deus reperiat locum. *Ibid.*

LXVI.

Assumunt testimonia Scripturarum de veteri & nouo Testamento, & furãtur verba Saluatoris vnusquisque à proximo suo, Prophetis, Apostolis, & Euangelistis, & assumunt linguas suas, vt cordis venena ore pronuncient. *&c. Item.* Magna, incredibilia & ingentia repromittunt, vt seducant miseros, & illud implent Apostolicum, docentes quæ non oportet turpis lucri gratia: qui solent malis prospera, & bonis contraria nunciare. *In 23. cap. Hieremiæ.*

LXVII.

Sensus & eloquia Scripturarum, quæ electa sunt mundi, & quæ nobis in ornamentum data sunt, posuerunt in fomentum & materiam superbiæ: & imagines diuersorum dogmatum, & abominationem offendiculorum suorum fecerunt ex eis: vt per quæ poterant colere & adorare Deum, ex his Deum offenderent. *In 7. cap. Ezechielis.*

LXVIII.

Nostra Hierusalem, quæ interpretatur visio pacis, ab istis scinditur, quando vnum & alterum

rum testimonium Scripturarũ de propriis carpentes locis, conantur assuere his, quibus non queunt coaptare. *Item.* De auro & argento sanctarum Scripturarum idola faciunt, quando gratiam sensus & eloquentiæ sua prauitate corrumpunt. *Item.* In omnibus viarum principiis fabricatur lupanar suum, qui ad peruersitatem doctrinæ testimoniis Scripturarum abutitur. *In 16. cap. Ezechielis.*

LXIX.

Ecclesiastici viri qui dogmatum non custodiunt veritatem, sed de suo corde confingunt, magistramq; habent præsumptionem suam, simili errore retinentur, id est, vt hęretici, falluntur & fallunt. Qui cùm populo persuaserũt vera esse quæ fingunt, & in theatralem modum plausus concitauerunt & clamores, immemores fiunt imperitiæ suæ, & adducto supercilio, libratisq; sermonibus atque trutinatis, magistrorum sibi assumunt auctoritatem. *In 34. cap. Ezechielis.*

LXX.

Solent regi suo vel Pharaoni dicere, Filii sumus Sapientiũ, qui ab initio doctrinam nobis Apostolicam tradiderunt. Filii sumus regum antiquorum qui appellantur reges Philosophorum, & habemus scientiam Scripturarum iunctam Sapientiæ sæculari. *In 19. caput Esaiæ.*

LXXI.

Ipsi ingentia pollicentur, & simulachrũ vani cultus de suo corde confingunt. Iactãt grandia

& ad decipiendos ſimplices quoſque, quaſi aureis ſenſibus & eloquiis argenti fulgore ſplendentibus imperitorum obſtringunt aciem, & à ſuis adiutoribus ſublimãtur. *In* 10. *cap. Ieremiæ.*

LXXII.

Simulachra dogmatum ſuorum atq; mendacii, artifici corde componunt, & venerantur ea quæ à ſe ſciant eſſe ſimulata. Nec ſufficit eis error proprius, niſi ſimplices quoſque eorum adoratione deceperint. Qui quæſtum putant eſſe pietatem, & deuorant domos viduarum, abutenteſque vulgi imperitia, ita arte Dialectica, quaſi aſcia & terebro, lima & runcina formant Deum ſuum, & cudunt malleo, atque inaurant ſermonis rhetorici venuſtate: quorum Deus venter eſt, & gloria in confuſione eorum. *In* 44. *cap. Eſaiæ.*

LXXIII.

Non dubium eſt, quin iſtiuſmodi perditionis filii habeant plurimos filios quoſcunq; deceperunt, & occidant in profundis vallibus, & in barathro impietatis ſubter imminentes petras, quæ ſemper minantur ruinas: quæ pro diuerſitate mendacii & varietate dogmatum peruerſorum plures appellantur petrę. Nos autem vnam habemus petram quæ ſemper ſequitur populum Dei, de qua bibebat quondam populus Iſrael, quando familiaritate Domini fruebatur. *In* 57. *cap. Eſaiæ.*

LXXIV.

Prudentium virorum dicta non capiunt, ſed

ſe ad

se ad disputationes contrarias præparantes, & initium & finem loquendi vanitate cum multo errore commutant, & cùm nihil sciant loquuntur plura quàm norunt. *Tom.5.in 10.cap. Ecclesiastis.*

LXXV.

Non solùm cogitant & faciũt mala, sed doctrina sua quosque simplices decipiunt, &, in morem Damascenorum, qui interpretantur Sanguinem bibentes, eorum quos deceperint sanguinem bibunt. *Tom:5.lib.1.Comm.in 1.cap. Amos.*

LXXVI.

Per multiplices libros ab aliis malè inuenta corroborãt. *In 4.cap.* Munera accipiũt, vt austeritatem Scripturarũ, quæ peccatoribus tormenta denunciant, vertant in beatitudinem: & cùm diuitibus prospera quæque promittãt, tantùm apud pauperes truculenti sunt ac seueri. *In 5.caput.*

LXXVII.

Nunc loquentibus & pronuntiantibus plenus est orbis: loquuntur qui nesciunt: docent qui non didicerunt: magistri sunt, cùm discipuli ante non fuerint. *In 5.cap. Michea.*

LXXVIII.

Non populorum salutem, sed sua quærunt lucra, & deceptum gregem pedibus suis conterunt. *In 7.cap. Michea.*

LXXIX.

Instructi sunt de Scripturis sanctis, & aduersus Dominum, leges, Prophetarũ & Euangelii

verba vertunt, & sunt quasi arcus dolosus. *Item.* Non Scripturarum authoritatem, sed humanæ rationis sensum sequũtur. *In 7. cap. Oseæ.*

LXXX.

Dum peruersè intelligunt quod legunt abominationem ponunt in domo Dei. *In 5. caput Amos.*

LXXXI.

Hi turpis lucri gratia semper personam accipiunt in iudicio, & in eadem caussa diuites ac pauperes non iuxta negocium, sed iuxta facultatum diuersitatem aliter atque aliter iudicant, & inhabitatores terræ suæ (quam prauis dogmatibus peruersaq; doctrina à se ornari putant) loquuntur mendacium, & ponunt in excelsum os suum & simplicitatem Ecclesiastici populi despiciunt. *In 5. cap. Mich.*

LXXXII.

Videntur habere altitudinem & scientiam Scripturarum: sed omnis altitudo eorum veritati comparata phantasia est, & frustra extollit vocem. *In 3. cap. Habacuc.*

LXXXIII.

Non habet curam rusticæ simplicitatis, quæ meretricia ornamenta non quærit, sed artificis elegantisq; mendacii, vt amatoribus suis placeant. *In 2. cap. Oseæ.*

LXXXIV.

Postquam aliquos deceperint, solent dicere, Diuites facti sumus, habemus plurimã multitudinem, discipulorum turba nos sequitur,

inue-

inuenimus idolum vel refrigerium nobis. Idcirco enim vel maximè hæreses componuntur vt deuorent domos viduarum. &c. *Item.* Solent dicere, Quicquid fecero, quicquid egero, mihi non poterit imputari: habeo enim diuitias meas, argumenta Philosophorum, & populi multitudinem, quam qui aspexerit me peccare non arbitrabitur. *In 12. cap. Oseæ.*

LXXXV.

Fures & latrones qui ingrediũtur nocte hæreticos [*istos*] puto, contraria veritati dogmata prædicantes, qui furantur sufficientia sibi, & quotidie de Ecclesię gregibus rapere festinant. Isti ingredientes vineam Domini nostri, quam de Ægypto huius sæculi transtulit, ita cupiunt vniuersa populari, vt vix racemum relinquant in ea. *&c. In Abdiam.*

LXXXVI.

Dulcia sunt eorum carmina, & suaui voce populos decipientia. Nec potest eorum cantica præterire, nisi qui obturauerit aurem suam, & quasi surdus euaserit. *In 1. caput Michea.*

LXXXVII.

Quicquid loquuntur non habet vocem sententias explicantem, sed tumultum clamorẽq; & sonitum: non enim testimoniis Scripturarũ, sed arte Dialectica & argumentis Philosophorũ munita sunt atq; constructa. *In 10. cap. Oseæ.*

LXXXVIII.

Vtinam tam noui non essent, minus forsitan plurimos decepissent. *Tom. 6. in 3. caput Epist. ad Titum.*

LXXXIX.

Fermentũ hanc vim habet, vt ſi farinæ mixtum fuerit, quod parum videbatur creſcat in maius, & ad ſaporem ſuum vniuerſam cõſperſionem trahat: ita & doctrina iſtorũ, ſi vel modicam ſcintillã in tuum pectus iecerit, in breui ingens flamma creſcit, & totam hominis poſſeſſionẽ ad ſe trahit. *In 16. cap. Matthæi, can. 32.*

X C.

Cùm peruerſa docent, ſe hominum ſolent aſſerere lucratores: cùm nõ lucrum ſit ſed perditio animas interficere deceptorũ. *Item.* Omnis Doctor Eccleſiæ, qui ad fidem Chriſti recta ratione perſuadet, honeſtus lucrator eſt. Et omnis hæreticus, qui quibuſdam præſtigiis homines fallit & fallitur, loquitur quæ non oportet turpis lucri gratia. *In 1. cap. Epiſt. ad Titum.*

XCI.

Sine Scripturarum auctoritate garrulitas non haberet fidem, niſi viderentur peruerſam doctrinam etiam diuinis teſtimoniis roborare. *Item.* Tales homines Doctor Eccleſiæ, cui animæ populorum creditæ ſunt, Scripturarum debet ratione ſuperare, & ſilentium illis teſtimoniorum pondere imponere: qui non vnã aut paucas domos, ſed vniuerſas cum omnibus familiis ſubuertunt, docentes de ciborum differentiis, *&c.* Atq; vtinam hoc ipſum zelo fidei facerent ex parte aliqua poſſet ignoſci, dicente Apoſtolo, Zelum Dei habent, ſed non ſecundum ſcientiã. Verùm quia venter eſt Deus ipſo-

ipsorum, turpis lucri gratia volunt proprios facere discipulos, vt quasi magistri à sectatoribus suis alantur. *In 1. cap. Epist. ad Titum.*

XCII.

Sub nomine [*Iesu*] Christi ea docent quæ contraria sunt Christo. Nec mirum si aliquos ab his videamus seduci, cùm Dominus dixerit, Et multos seducent. *Item.* Sub opinione falsæ scientiæ contra Christum dimicant. *In 24. cap. Matthæi, can. 52. & 83.*

XCIII.

Viam tuam rectam fac propter inimicos meos qui insidiantur mihi. Quæ autẽ est ista via? Lectio Scripturarũ: hoc est, ne in Scripturis tuis, per quas ingredi cupio in Ecclesiam tuã, corruam. Omnis enim qui malè intelligit Scripturas, in via Dei corruit. &c. *Tom. 7. in Psalm. 5.*

XCIV.

Si vir Ecclesiasticus, de Scripturis eruditus, contenderit contra eos, & de Scripturis sanctis coarguerit eos, statim requirunt quomodo aliud nouum dogma reperiant. Non quærunt quomodo saluentur, sed quomodo superent. *Ibidem.*

XCV.

Si in Apostolis veritas Dei est, quomodo isti dicunt, Quod non est reuelatum Apostolis, nobis reuelatum est. *In Psalm. 107.*

XCVI.

Plantatio eorum non est vetus, sed nouella est. Non est enim de veteri lege, non est de

Prophetis, non est de Apostolis: sed de nouis magistris est. Licet multæ sint hæreses veteres, tamen quotidie mutantur, & nouæ quotidie inueniuntur. Nouæ sunt ipsæ hæreses, licet veteres sint. tamen cùm quotidie doctrinas suas innouant, nouæ sunt. non enim sunt veterum magistrorum [*i. Prophetarum & Apostolorum*] doctrina contenti, sed quotidie ipsi noua reperiunt. *In* 143. *Psalmum.*

XCVII.

Videtis magistros eorum nihil aliud facere nisi studere diuitijs. Diuitiis student & pauperem Christum contemnunt. boues eorum crassi, quorum deus venter est, & gloria in confusione eorum. *Ibidem.*

XCVIII.

Difficilè hæreticos inuenies imperitos. Omnes enim magistri sunt & instructi scientia sæculari. Non habent rete Apostolorum, sed catenulas dialecticas. &c. *Item.* Multi nescientes, beatos tales putant. Ceterùm nobis simplicitas Christiana est. Nolumus eloquentiam Platonicam, sed volumus simplicitatem Apostolicam. Piscator iste rete tenet, lutatos habet pedes, & manus ex opere callosas habet. Beatus populus, cuius est Dominus Deus eius. Beatus est populus qui pro omnibus diuitiis Christum habent. Illi habent filios & filias & cellaria, & oues fœtosas; boues crassos & nitidos atq; formosos. Ceterùm nos non habemus multitudinem: sed scimus illud dictum in Euange-


angelio, Vbicunq; fuerint duo aut tres congregati in nomine meo, ibi in medio eorum sum. Ne timeas grex paruule: quia complacuit Deo habitare in te. *Ibidem.*

XCIX.

Scrutantur Scripturas sanctas, & non spiritualiter tractantes vanas exinde proferũt quæstiones, quibus nos per iniquitatem & dolum cupiunt illaqueare: sed nihil præualentes, ipsi potius à Deo scrutati atque examinati, relicti sunt vacui. *In Psal. 63.*

C.

Vis populum liberare? magistros liga. Non vocauit magistros, sed reges. Regnant enim in peccatis & miseriis eorum. Nobiles eorum videas dicere, Iste vir doctus est: ille signa facit: iste Dæmones eiicit. Sancti Domini, quia habent gladios ancipites, hoc est duorum capitum, & de veteri & de nouo Testamento, ligant illos magistros, & præpediunt pedes ipsorum ne possint currere. &c. *In Psal. 149.*






CHARACTERVM IESVITICORVM

CENTVRIA QVARTA,

ex D. Augustini scriptis Polemicis collecta.

I.

SI quid tēporalis molestiæ passi fuerint [*vt de persecutione Anglicana tragicis & famosis libellis passim hodie conqueruntur Iesuitæ*] per certissimum atq; rectissimum ordinem potestatum, cùm ipsis priuatis furiosorum agminibus multa grauiora passim atq; quotidie, nulla regia, nulla Ecclesiastica lege committant: nos corporum persecutores vocant, se animarum interfectores non vocant, cùm priuata licentia corporibus parcant. Sed quia semper per mansuetudinem Christianam multò seuerius oculus iudicatur euulsus in lite, quàm animus excæcatus in schismate, & aduersum nos loquuntur, & nobiscum loquuntur: & cùm eos obmutescere compellat veritas, silere non permittit iniquitas. *lib.* I. *contra Epistolam Parmeniani.*

II.

Tanto isti amore hominum cæci sunt, &

corde

corde impudico, vt adulteros mentis suæ vni legitimo viro coæquare non dubitent, vt quod de solo Domino Iesu Christo dici potuit, etiam in Donato [*Iesuitæ in Ignatio Loyola suæ sectæ autore, sicut ex vita ipsius nuper edita constat*] perfectum fuisse contendant. *lib.* 2.

III.

Non odio iniquitatum alienarum, sed studio contentionum suarum infirmas plebes iactantia sui nominis irretitas, vel totas trahere, vel certè diuidere affectant, superbia tumidi, peruicacia væsani, calumniis insidiosi, seditionibus turbulenti, ne luce veritatis carere ostendantur, vmbram rigidæ veritatis obtendunt: & quæ in Scripturis sanctis salua dilectionis sinceritate, & custodita pacis vnitate, ad coercenda fraterna vitia moderatiori curatione fieri præcepta sunt, ad sacrilegium schismatis, & ad occasionem præcisionis vsurpant. *lib.* 3.

IV.

Cùm multis quidem locis sermonum suorũ nihil aliud quàm præsumere intelligantur, aliquando tamen verecundantur, cùm eos veritas vrgere cœperit: quando interrogantur, vtrum non habeant peccatum, vel vtrum non sint peccatores. *lib.* 3.

V.

Omnino nescio quemadmodum credi posset esse in hominibus tanta peruersitas, nisi experimento verborum suorum factorumq; patesceret vsque adeò se clausos habere cordis

oculos, vt commemorent ſanctæ Scripturæ te-ſtimonia, nec intueantur in factis Propheta-rum quemadmodum intelligenda ſint verba Prophetarum. *lib.* 5.

VI.

Eos teneamus interfectores Prophetarum, quos contradictores inuenerimus linguis Prophetarum. *lib.* 2. *contra litteras Petiliani*, *cap.* 14.

VII.

Noli dicere, Abſit, abſit à noſtra conſcientia, vt ad noſtram fidem aliquem compellamus. Facitis enim vbi poteſtis, vbi autem non facitis, non poteſtis, ſiue legum, ſiue inuidiæ timore, ſiue reſiſtentium multitudine. *lib.* 2. *cap.* 15.

VIII.

Ita miſeris plebibus vos venditatis, vt ſine peccato vos eſſe credant, & peccata ſua veſtris orationibus purganda committant. Magni homines vos, excelſi, cœleſtes, diuini, non iam homines ſed Angeli, qui pro plebibus oratis, & pro vobis plebes orare non vultis. *lib.* 2. *cap.* 105.

IX.

Qui diſputat, verum diſcernit à falſo. Quod qui [*velut Ieſuitæ*] non poſſunt, & tamen Dialectici videri volunt, per inſidioſas interrogationes captant incautorum aſſenſiones, vt ex eorum reſponſionibus concludant, vnde illos vel in aperta falſitate deceptos rideant, vel occultam faſitatem deceptis perſuadeant, quam plerumq; etiam ipſi exiſtimant veritatem. *Contra Creſconium grammatic. lib. primo, cap.* 15.

Rectè

X.

Rectè iſta (de piorum perſecutionibus) dicerentur à vobis quærentibus martyrum gloriam, ſi haberetis martyrum cauſſam. Non enim felices ait Dominus qui mala patiuntur, ſed qui propter filiũ hominis patiuntur, qui eſt Chriſt⁹ ... Vos autem non propter ipſum [*hodie in lin*] ſed contra ipſum. Patimini quippe i... quia nõ ei creditis, & toleratis ideò ne cre... tis. Quomodo ergò vos eam fidẽ tenere iactatis, quam Dominus Chriſtus Apoſtolis dereliquit? An vſq; adeò cæcos & ſurdos vultis eſſe homines vt non legant, non audiãt Euangelium, vbi nouerint quam fidem de ſua Eccleſia Dominus Chriſtus Apoſtolis dereliquit, ex qua diuiſi atq; ſeparati nihil aliud facitis quàm cõtra verba capitis & corporis rebellatis, & tamen propter filium hominis ac fidem quam reliquit Apoſtolis, vos perſecutionẽ ſuſtinere iactatis? *Contra ſecundam Gaudentii Epiſtolam*, *cap*. 12. *lib*. 2.

XI.

Si ad vos putatis hæc iuſtorum verba (Stabũt iuſti in magna conſtantia aduerſus eos qui ſe anguſtiauerunt, *&c*.) prius an iuſti ſitis oſtendire. Habetis enim res magnas quas inter iuſtitias veſtras ventiletis, diuiſionem Chriſti, reſciſſionem ſacramentorum Chriſti, deſertionem pacis Chriſti, bellum contra membra Chriſti, criminationes in coniugem Chriſti, negationem promiſſorum Chriſti. *cap*. 27. *lib*. 2.

XII.

Quicunq; de ipſo capite ab Scripturis ſanctis diſſentiunt, etiam ſi in omnibus locis inueniantur in quibus Eccleſia deſignata eſt, non ſunt in Eccleſia. Et rurſus quicunq; de ipſo capite Scripturis ſanctis conſentiũt, & vnitati Eccleſiæ non communicãt, non ſunt in Eccleſia, ... de Chriſti corpore, quod eſt Eccleſia, ab ip... Chriſti teſtificatione diſſentiunt. *Lib. de vni... Eccleſiæ contra Petiliani Donatiſtæ Epiſtolã, cap* ...

XIII.

Videte quàm facile ſit vel nobis in eos dicere, vel illos in nos quod ait Dominus ad Phariſæos: Similes eſtis monumentis dealbatis quæ à foris apparent hominibus ſpecioſa, intus verò plena ſunt oſſibus mortuorum & omni ſpurcitia: ſic & vos à foris quidem apparetis hominibus iuſti, intus autem eſtis pleni hypocriſi & iniquitate. Hæc ſiue in illos à nobis, ſiue ab eis in nos dicantur, niſi prius probetur manifeſtis documentis qui ſint, qui cùm ſint iniuſti iuſtos ſeipſos confingant, conuiciante magis leuitate quàm conuincente veritate dici, quis mediocriter ſanus ignoret? Aliter quippe illa Dominus in Phariſæos dicebat tanquam Dominus, id eſt cognitor cordis & humanorũ omnium ſecretorum & teſtis & iudex. Nos autem prius debemus inuenire & oſtendere quid arguamus, ne ipſi potius grauiſſimo crimine inſanæ temeritatis arguamur. Sanè ſi ante docuerint nos tales eſſe, nequaquam recuſare debemus

bemus talibus ſanctarum Scripturarum verbis nos reprehendi atq; contundi. Ita ſi nos eos tales eſſe docuerimus, [*vt abundè præſtitum eſt tot libris editis, quibus multiplex hæreſis & hypocriſis Ieſuitica detegitur*] erit ſimiliter in poteſtate noſtra, quibus Dominicis increpationibus, ante demonſtratos conuictosq; feriamus. *cap.* 5.

XIV.

Victi animoſitate, non vultis vinci veritate. *Paulo pòſt.* Ecce ſunt Scripturæ quibus credo. Ecce ſunt Eccleſiæ quibus communico. Vbi tibi lego nomina earum, ibi mihi lege crimina earum. Si autem aliud declamas vel recitas, nos poſt vocem paſtoris noſtri per ora Prophetarũ, per os proprium, per ora Euangeliſtarum nobis apertiſſimè declaratam, voces veſtras non admittimus, non credimus, non accipimus. *cap.* 11.

XV.

Niſi hoc dicant quod erubeſcunt ſi dicant, non habent omninò quod dicant. *cap.* 15.

XVI.

Hæc [*i. priuatorum quorundam ſcelera*] nos multò probabilius & copioſius eis obiicere poſſumus, non ea inanitate qua illi, vt in eis cauſſam noſtram conſtituamus: ſed vt eis oſtẽdamus, non ideò nos nolle talibus fidere, quia non inuenimus talia quæ dicamus, ſed ne tẽpus rebus neceſſariis vtile, in rebus non neceſſariis conteramus. Quod propterea illi faciunt, quia robuſta & firma veritate ſubnixa documenta,

quibus caussam suam tueantur, inuenire non possunt, & volunt videri aliquid dicere, dum tacere erubescunt, & inania loqui non erubescunt. *cap.16.*

XVII.

Remotis ergò omnibus talibus, Ecclesiam suam demonstrent si possunt, non in sermonibus & rumoribus Aphrorum, non in Conciliis Episcoporum suorum, non in litteris quorumlibet disputatorum, non in signis & prodigiis fallacibus, quia etiam contra ista verbo Domini præparati & cauti redditi sumus: sed in præscripto legis, in Prophetarum prædictis, in psalmorum cantibus, in ipsius Pastoris vocibus, in Euangelistarum prædicationibus & laboribus, hoc est in omnibus Canonicis Sanctorum librorum authoritatibus. Nec ita, vt ea colligant & commemorent, quæ obscurè, vel ambiguè, vel figuratè dicta sunt, quæ quisque sicut voluerit interpretetur secundum sensum suum [*quod ante aliquot annos insigni cum audacia præstitit Franciscus Turrianus, Sophistarum Jesuiticorum facilè princeps, vt ex eius libris Christianus lector colligere potest*] talia enim rectè intelligi exponique non possunt, nisi prius ea quæ apertissimè dicta sunt, firma fide teneantur. *cap.16.*

XVIII.

Omissis morarum tendiculis ostendat [*Donatista, Iesuita*] Ecclesiam vel in sola Aphrica

rica [*vel in sola Roma*] perditis tot gentibus retinendam, vel ex Aphrica [*vel ex Roma*] in omnibus gentibus reparandam atque adimplendam: & sic ostendat, vt non dicat, Verum est quia ego hoc dico, aut quia hoc dixit ille collega meus, aut illi collegæ mei, aut illi Episcopi, vel clerici, vel laici nostri: aut ideo verum est, quia illa & illa mirabilia fecit Donatus [*Ignatius Loyola*] vel Pontius, vel quilibet alius: aut quia homines ad memorias mortuorum nostrorum orant & exaudiuntur: aut quia illa & illa ibi contingunt: aut quia ille frater noster, aut illa soror nostra tale visum vigilans vidit, vel tale visum dormiens somniauit. Remoueantur ista vel figmenta mendacium hominum, vel portenta fallacium spirituum. Aut enim non sunt vera, quæ dicuntur, aut si hæreticorum aliqua mira facta sunt, magis cauere debemus: quod cùm dixisset Dominus quosdam futuros esse fallaces, qui nonnulla signa faciendo, etiam electos si fieri posset fallerent, adiecit vehementer commendans, & ait, Ecce prædixi vobis. Vnde & Apostolus admonens, Spiritus autem manifeste dicit, quia in nouissimis temporibus recedent quidam à fide, intendentes spiritibus seductoribus, & doctrinis dæmoniorũ. Porrò si aliquis in hæreticorum memoriis orans exauditur, non pro merito loci, sed pro merito desiderii sui recipit siue malum siue bonum. *Eodem cap.* 16.

XIX.

Flagitiosi & facinorosi homines sunt Donatistis [*Iesuitis*] modestiores: quia cùm legibus diuinis & humanis aliquid pœnarum pro suis perditis moribus factisque patiuntur, non se martyres dicunt: isti autem [*Iesuitæ in Angliam excurrentes, Antichristi emissarii*] simul habere volunt & sacrilegorum vitam & innocentium famam, & in sceleratis factis nullam pœnam, & in pœnis iustis martyrum gloriam; quasi non tantò sit erga illos maior misericordia & patientia Dei, quantò magis eos partibus corripiens dat locum pœnitentiæ, & in hac vita flagella ingeminare non cessat, vt considerantes quæ patiantur, & quare patiantur, aliquando resipiscant. *Lib. 2. de baptism. contra Donatist. cap.* 10.

XX.

Propter hoc eos inimicos habemus, quia vera dicimus, quia tacere metuimus, quia cessare ab instantia quantum possumus formidamus, quia obtemperamus Apostolo, dicenti, Prædica verbum, insta importunè, oportunè, argue, hortare, increpa: sed sicut Euangelium loquitur, Diligunt gloriam hominum magis quàm Dei: & dum reprehendi ad tempus timent, damnari in perpetuum non timent. Vident etiam ipsi quid mali faciant, vident non esse quid omninò (verè) respondeant: sed nebulas imperitis offundunt, cùm ipsi viui sorbean-

beantur, id est scientes & agnoscentes intereant. *Eodem lib. cap.* 11.

XXI.

Dicunt se nullum premere ad fidem, nisi prius discussa & enodata veritate. *De vtilit. credendi, cap.* 1.

XXII.

Ipsos animaduerti plus in refellendis aliis disertos & copiosos esse, quàm in suis probandis certos & firmos manere. *Ibidem.*

XXIII.

Scripturæ legis planissimæ sunt, in quas isti quasi vulgò expositas impetum faciunt frustra & inaniter. *Item.* Ea quæ non intelligunt, aut cur, aut omninò qualia sunt, quamuis iacentibus similia, subtilia tamen intelligentibus atque diuina, magno impetu orationis maledictisq; lacerantes, quia eis imperiti plaudunt, aliquid se proficere existimant. *cap.* 6.

XXIV.

Omnes viam Catholicæ disciplinæ profitentur se tenere ac docere, & eis quos illectant rationem se de obscurissimis rebus pollicentur reddituros. *cap.* 9.

XXV.

Quid infeliciùs ista superstitione inueniri potest, quæ non modò non exhibet scientiam quam promittit atque veritatem, sed ea dicit quæ vehementer sunt scientiæ veritatiq; contraria? *contra epist. Fundamenti, cap.* 15.

XXVI.

In quæstionibus fingendis illi regnare se putant: quasi verò interrogare sit scire. Vtinam id esset, nemo me scientior reperiretur. Sed nescio quomodo sæpè in altercando magnæ quæstionis propositor personam magnam doctoris ostentat [*vt inter Iesuitas Hayus & Verro*] plerumq; ipso quem terret, in eo de quo terret, indoctior. Itaq; isti multitudini se præferendos arbitrantur, quia priores interrogant, quod cum multitudine ignorant. *Lib. de duab. animabus contra Manich. cap.* 8.

XXVII.

Non sanè mihi videtur cogitare cum hominibus se agere, sed prorsus quasi pecora forent, qui eos audirent, vel eorum scripta legerent: sic abusi sunt imperitia suorum & tarditate ingenii, vel potius animi cæcitate. *Contra Adimant. cap.* 4.

XXVIII.

Quamdiu Scripturam lacerare conantur, nullo modo permittuntur intelligere. *cap.* 12.

XXIX.

Particulas quasdam de Scripturis eligunt, quibus decipiant imperitos, non connectentes quæ supra & infra scripta sunt, ex quibus voluntas & intentio scriptoris possit intelligi. *cap.* 14.

XXX.

Legunt Scripturas apocryphas, quas etiam incorruptissimas esse dicunt. *cap.* 17.

Nos

XXXI.

Nos re vera Catholicos nondum perfectos, sed quodammodo semi-Christianos, quos fallatis & seducatis vestra peruersitate insectamini. Sed si qui adhuc etiam tales sunt, si vos pseudo-Christianos [*pseudo-Iesuitas*] esse intellexerint, quamuis captiosis quæstionum vestrarum propositionibus, propter id quod eorum fidei deest, respondere non possint: non tamen sequendos, sed deuitandos vos esse cognoscunt. Sicut ergo vestra intentio est semi-Christianos quos decipiatis inquirere, sic nostra intentio est pseudo-Christianos, [*pseudo-Iesuitas*] vos ostendere, vt non solùm Christiani peritiores vos conuincendo prodant, sed & imperitiores vos cauendo proficiant. *Contra Faust. l.* 1. *c.* 3.

XXXII.

Quomodo persecutiones & odia sustinetis propter iustitiam, quibus sacrilegia prædicare & persuadere iustitia est? *lib.* 5. *cap.* 8.

XXXIII.

In vobis qui ficti sunt, mali sunt: & qui ficti non sunt, vani sunt. Vbi enim fides ipsa ficta est, & qui ea simulatè vtitur, fallit: & qui eam veram existimat, fallitur: nec ex ea potest exsistere bona vita, quia ex amore suo quisque viuit, vel benè vel male. *Eodem lib. cap.* 11.

XXXIV.

Qui in Euangelio quod vultis creditis, qoud vultis non creditis, vobis potius quàm Euangelio creditis. *lib.* 17. *cap.* 3.

XXXV.

Christianis, fide non ficta pias mentes mundantibus, tanquam temerè credulis insultatis. *lib.20.cap.9.*

XXXVI.

Isti, ea quæ non intelligunt reprehendentes, similes sunt hominibus quibus displicent ea quorum non capiunt vtilitatem: velut si surdus videns moueri labia loquentium, tanquā superfluos oris motus deformesq́; reprehenderet: vel si quisquam cæcus laudata sibi aliqua domo, vellet palpando probare quod dicitur, & parietum leuitatem manu pertractans, in fenestras irrueret, easq́; velut inconuenientes illi æqualitati redargueret, cauernasq́ue ruinosas putaret. *lib.22.cap.7.*

XXXVII.

Legunt Scripturas apocryphas, à nescio quibus sutoribus fabularum, sub Apostolorum nomine scriptas: quæ suorum scriptorum temporibus in authoritatem sanctæ Ecclesiæ recipi merentur, si sancti & docti homines, qui tunc in vita erant, & examinare talia poterant, eos vera locutos esse cognoscerent. *Eod.lib.cap.69.*

XXXVIII.

Videtis id vos agere, vt omnis de medio Scripturarū auferatur authoritas, & suus cuiq; animus author sit, quid in quaq; Scriptura probet, quid improbet: id est, vt non authoritati Scripturarum subiiciatur ad fidem, sed sibi Scripturas ipse subiiciat: non vt ideo illi placeat aliquid,

aliquid, quia hoc in ſublimi authoritate ſcriptum legitur: ſed ideo rectè ſcriptum videatur, quia hoc illi placuit. *lib.23.cap.19.*

XXXIX.

In vobis maximè impletur, quod de ſeductoribus prædictũ eſt ab Apoſtolo: Prohibent, inquit, nuptias. Neque enim tam concubitum quàm nuptias deteſtamini. *Contra Secundin. Manich.cap.21.*

XL.

Sunt plurimi carnales qui hæreſes faciunt, non intelligendo Scripturas. *Contra Aduerſ. Legis & Prophet.cap.17. 1.lib.*

XLI.

Iſti, litteriones potius quàm litterati appellandi ſunt, qui legendo litteras nihil ſapere didicerunt. *Eod.lib.124.cap.*

XLII.

Duæ maximæ ſunt eorum illecebræ, quibus decipiuntur incauti, vt eos velint habere doctores. Vna, cùm Scripturas reprehendunt, vel quas malè intelligi volunt: altera, cùm vitæ caſtæ & memorabilis continẽtiæ imaginem præferunt. *Lib.de moribus Eccleſiæ Catholicæ, cap.1.*

XLIII.

Cùm nouerit veſtra conſcientia eos, quos in ſectam veſtram introducitis, cùm vobis familiarius iungi cœperunt, multa inuenturos quæ in vobis eſſe cùm alios accuſaretis, nemo ſuſpicabatur: quæ tandem impudentia eſt, perfectionem in catholicis imbecillioribus quæ-

rere, vt inde imperitos auertas, & eam nullo modo apud te iis quos auerteris exhibere? *Eod. lib. 35. cap.*

XLIV.

Plures ſunt in eis [*id eſt, inter eos*] qui verũ intelligere omnino nequeunt. Scio rurſus eſſe quoſdam, qui quanquam bono ingenio vtcũque iſta videant, mala tamen voluntate, qua ipſum quoque ingenium ſunt amiſſuri, pertinaciter agant, & quærant potius quid aduerſus iſta dicant, quod tardis & imbecillis facilè perſuadetur, quàm vera eſſe conſentiant. *lib. de morib. Manichæorum cap. 2.*

XLV.

Tam multa & tam grauia peccata in eorum moribus deprehenduntur, vt ſi quis accuſare velit omnia homo alicuius facultatis, ſingula vt minimum, ſingulis voluminibus poſſit. Si veſtram impleretis profeſſionem, nihil vobis eſſet ineptius, nihil ſtultius, nihil imperitius. Cùm autem laudatis & docetis iſta nec facitis, quid vobis fallacius, quid inſidioſius, quid malitioſius dici aut inueniri poteſt? *Eodem lib. cap. 19.*

XLVI.

Cùm flagitia veſtra ſint manifeſta, & iis qui ſcire voluerint cognitu faciliima, intelligitur quàm vera dicere ſoleant, qui hæc eſſe negauerint. Sed aliis defenſionibus vtimini quas ego non improbo. Aut enim dicitis aliquos, qui veſtra præcepta cuſtodiant, nec eos aliorum

rum criminibus debere perfundi: aut non oportere omnino quæri quales ſint homines qui veſtram ſectam profitentur, ſed qualis ſit ipſa profeſſio, &c. *Eodem lib. cap.* 20.

XLVII.

Et doctos litteris & indoctos errore ſuo proſequuntur, & cum promittunt veritatem à veritate conantur auertere. *lib.* 1. *de Geneſ. contra Manich. cap.* 1.

XLVIII.

Volentes humanis coniecturis iuſtitiam Dei defendere, & ignorantes altitudinem gratiæ, fabulas improbabiles texuerunt. *lib.* 1. *de peccat. merit. & remiſſ. contr. Pelagianos, cap.* 22.

XLIX.

Idonei ſunt his rebus interrogandis, quibus intelligendis non ſunt idonei. *lib.* 3. *cap.* 8.

L.

Deſinant & ſeipſos & alios fallere, contra gratiam Dei diſputando. *De Gratia Chriſti, contra Pelag. & Celeſt. lib.* 1. *cap.* 25.

LI.

Liberi arbitrii elati aſſertores dicunt, Quod poſſumus bene cogitare, Dei eſt, quod autem bene cogitamus, noſtrum eſt: quibus reſpondent humiles gratiæ prædicatores, Non idonei ſumus cogitare aliquid à nobis, quaſi ex nobiſmetipſis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt. *Ibidem.*

LII.

Gratiam qua iuſtificamur, id eſt, qua

charitas Dei diffunditur in cordibus nostris per Spiritum S. qui datus est nobis in eorũ scriptis quęcunque legere potui, nunquam eos inueni, quemadmodum confitenda est, confiteri. Prorsus nunquam eos aduerti, sicut agnoscendi sunt, agnoscere filios promissionis. *Eodem libro, cap.* 30.

LIII.

Ignorantes Dei iustitiam, suam volunt constituere, & longè ab illa sunt, quæ nobis ex Deo est, non ex nobis, quam in Scripturis etiam sanctis, maximè canonicis, aduertere atque agnoscere debuerunt. Sed quia eas secundum sensum suum legunt, profectò in illis nec apertè contuentur. *cap.* 42. *eiusdem lib.*

LIV.

Disputantes cum Pelagio & eius discipulis, primùm vixisse homines ex natura, deinde sub lege, tertiò sub gratia, à gratia mediatoris iustos excludere conantur antiquos, tanquam Dei & illorum hominum non fuerit mediator homo Christus Iesus, *&c. lib.* 2. *cap.* 20.

LV.

Noui hæretici, inimici gratiæ Dei, quæ datur pusillis & magnis, per Iesum Christum Dominum nostrum, etsi iam cauendi euidentius apertiore improbatione monstrantur, non tamen quiescunt scriptis suis minus cautorũ vel minus eruditorum corda tentare. *lib.* 1. *cap.* 1. *ad Bonif. contr.* 2. *epist. Pelag. in.*

LVI.

LVI.

Liberum arbitrium defendendo præcipitant, vt de illo potius ad faciendam iustitiam quàm de Domini adiutorio confidatur, atque vt in se quisque, non in Domino glorietur. *cap. 2. eiusdem lib.*

LVII.

Isti elati & superbi, nec purgando defensores, sed extollendo præcipitatores liberi arbitrii, non ob aliud nobis de gratia Dei differentibus indignantur, nisi quia in Domino gloriari dedignantur. *cap. 4. eiusd. lib.*

LVIII.

Istis non immeritò anathema dicimus, qui tam sunt inimici gratiæ Dei quæ venit per Iesum Christum D.N. vt eam dicant non gratis, sed secundum merita nostra dari, ac sic gratia iam non sit gratia, tantumque constituunt in libero arbitrio, quo in profundum homo demersus est, vt eo bene vtendo dicant hominem mereri gratiam, cùm nemo bene illo vti possit, nisi per gratiam, quæ non secundum debitum redditur, sed Deo gratis miserante donatur. *cap. 23. einsd. lib.*

LIX.

Manichæi meritis naturæ bonæ: Pelagiani autem [*Iesuitæ*] meritis voluntatis bonæ perhibent diuinitus subueniri. Illi dicunt, debet hoc Deus laboribus membrorum suorum: isti dicunt, debet hoc virtutibus suorum. Vtrisque ergo merces non imputatur secundum grati-

am, sed secundum debitum. *lib.2.cap.2.*

LX.

Itáne verò, filii superbiæ, inimici gratiæ Dei, noui hæretici, quisquis dicit, gratia Dei õmnia hominis bona merita (opera) præueniri, nec gratiam Dei meritis dari, ne non sit gratiâ, si non gratis datur, sed debita merentibus redditur, fatum vobis videtur asserere? *cap.6.eiusd. lib.*

LXI.

Quis potest bona cogitatione ad bonũ cor præparare? Absit vt aliqui sic intelligant, nisi isti superbi sui arbitrii defensores, & fidei Catholicæ desertores. *cap.8.eiusd.lib.*

LXII.

Prorsus non intelligunt quid de lege dicamus, quia id quod dicit Apostolus, quem non intelligunt, dicimus. Quis enim dicat non iustificari eos, qui sunt legi obedientes, quando si non iustificarentur, non possent esse obedientes? Sed dicimus lege fieri, vt Deus quid fieri velit, audiatur: gratia verò fieri, vt legi obediatur. *&c. lib.3.cap.1.*

LXIII.

Aut non valent intelligere, aut nolunt aduertere, aut calumniandi studio simulant se scire quod dicimus. Audiant ergo vel ipsi, vel potius ii quos idiotas & ineruditos decipere moliuntur. Nostra fides, hoc est Catholica fides, iustos ab iniustis, non operum, sed ipsa fidei lege discernit, quia iustus ex fide viuit. *cap. 5.eiusd.lib.*

Noui

LXIV.

Noui hæretici Pelagiani [*Iesuitæ*] religionis amatores & laudatores videntur sibi esse sanctorum, si non audeant dicere imperfectæ illos fuisse virtutis, cùm hoc confiteatur vas electionis, *&c. Ibid.*

LXV.

Isti non intelligentes, & calumniandi cupiditate cęcati, quàm diuersis modis Peccati nomen in Scripturis poni soleat ignorantes, peccatum Christi [*i. Christum peccauisse*] affirmare nos iactant. Dicimus itaque Christum, & nullum habuisse peccatũ, nec in anima, nec in carne, & suscipiendo carnem in similitudinẽ carnis peccati, de peccato damnasse peccatũ. *cap. 6.*

LXVI.

Quicquid de laude legis & liberi arbitrii dicunt, ad hoc referre conantur, vt gratia non adiuuet nisi meritum, ac si gratia iam non sit gratia. Quicquid de laude Sanctorum, ad hoc, vt vita mortalis in Sanctis videatur non habere peccatum, nec sit eis necessarium pro dimittẽdis debitis suis precari Deum. *lib. 4. cap. 2.*

LXVII.

Non tam contra hæreticos defendunt quã contra Catholicos extollunt liberum arbitriũ. Et per arbitrii libertatem destruere volunt gratiæ largitorem. *cap. 6. eiusd. lib.*

LXVIII.

Verba vestra quò proficiunt, nisi vt appareat, vel quomodo de fidei caussa scire negle-

xeritis catholicorum ſententia ſermonesq; doctorum, vel ſi eos noſſe curauiſtis, qua fraude conamini circumuenire neſcientes. *Contra Iulianum lib.*1.*cap.*2.

LXIX.

Si fideli diligentia quæreretis, nec ea quæ catholicæ fidei veritate atque antiquitate fundata ſunt infideli oppugnaretis audacia, in ea quæ abſcondita ſunt ſapientibus & prudentibus, & reuelata ſunt paruulis, nutriti Chriſti gratia veniretis. *lib.*2.

LXX.

Dolus eſt in ore veſtro, ſiue peccatores vos eſſe dicatis, & iuſtos credi velitis, ſiue profiteamini perfectionem iuſtitiæ, quam profectò in vobis non eſſe ſentitis. *Eod.lib.*

LXXI.

Vobis ſi credamus, & dicamus, Orate pro nobis, vt nec nos iſta (id eſt, terrenarum illecebras & inſultus cupiditatum) patiamur, ita vos inueniemus elatos & alta ſapientes, vt reſpondeatis nobis, non ſolùm iſta vos non pati, verũ etiam in hominis eſſe poteſtate, ne illa patiatur, nec eſſe cauſſam cur ad hoc Dei poſcatur auxilium. *Eod.lib.*

LXXII.

Confitetur Dauid peccata iuſtorum, magis eos aſſerens in Dei miſericordia ſpem ponere, quàm de iuſtitia ſua fidere, & ideo non eſt in ore eius dolus, imò in ore illorum, in quibus huius veracis humilitatis, vel humilis veritatis perhi-

perhibet testimonium. Qui dolus abundat in ore vestro. Vbi enim virtus non est, & tanta iactantia est, hypocrisis est: & vbi hypocrisis, vtique dolus. Prorsus quantum sancti de misericordia Dei quæ magna est, tantum vos de vestra, quæ nulla est virtute præsumitis. Et quantum ipsi aduersus ingenerata vitia bellum gerunt, adiuti per Dei gratiam, tantum vos bellum geritis aduersus ipsam Dei gratiam. *Eod. lib.*

LXXIII.

Cum in ipso motu pro nostræ voluntatis arbitrio non habeat vllum modũ, in effectu autem regeneratus homo non sit moderatus, sed ei modum vigili certamine spiritus honestus imponat, quid est quod laudatis, homines mali [*liberi arbitrii patronos intelligit*] & ad Deum non clamatis, Libera nos à malo? *lib.3.cap.13.*

LXXIV.

Nos deprimunt & dicunt, quòd dubium non sit euersionem sanctitatis, contaminationem pudicitiæ, morũ labem nostris conuenire imo inesse dogmatibus: neque nos id esse negaturos, qui ideo, sicut dicunt, in naturæ inuidiam malæ conuersationis sordes refundimus, vt peccantibus metum demamus, quorum obscœnitatẽ Apostolorum & Sanctorum omnium consolamur iniuriis, eo quod vas aureum Apostolum Paulum sæpe dixisse commemoramus, Non quod volo bonum hoc ago, sed

quod odi malum illud facio: & cetera huiuſmodi. *lib*.3. 26.*cap*.

LXXV.

O ingrati Deo, ô inimici gratię Chriſti, & ſolo vocabulo Chriſtiani! Nonne pro ſuis inimicis orat Eccleſia? quid orat obſecro, ſi vt eis ſanæ voluntatis retribuatur pretiū, quid eis orat, niſi grande ſupplicium? Quod iam contra eos eſt, nō pro eis. Orat autē pro eis. Nō ergo quia illis eſt voluntas bona, ſed vt cōuertatur in bonam voluntas mala, quoniam præparatur voluntas à Domino. Et Deus eſt, vt ait Apoſtolus, qui operatur in vobis & velle. Sed, acerbiſſimi huius gratiæ inimici, exempla nobis opponitis impiorum, quos dicitis alienos à fide abundare virtutibus, in quibus ſine adiutorio gratiæ ſolum eſt naturæ bonum, licet ſuperſtitionibus mancipatum, qui ſolis libertatis ingenitæ viribus & miſericordes crebro, & modeſti, & caſti inueniuntur & ſobrii. *lib*.4.*cap*.3.

LXXVI.

Ab eo dicitis pulſantibus aperiri qui omnes homines vult ſaluos fieri, & in agnitionem veritatis venire, vt videlicet intelligamus docētibus vobis ideo non omnes ſaluos fieri, & in agnitionem veritatis venire, quia ipſi nolunt petere, cùm Deus velit dare: nolunt quærere, cùm Deus velit oſtendere: nolunt pulſare, cùm Deus velit aperire. Sed hunc ſenſum veſtrum infantes illi ipſa ſua taciturnitate conuincunt, qui nec petunt, nec quærunt, nec pulſant, imò etiam

etiam cùm baptizantur reclamant, respuunt, reluctantur: accipiunt tamen & inueniũt, pulsant & aperitur eis, & intrant in regnum Dei, vbi fit eis æternitatis salus & agnitio veritatis, longè pluribus infantibus in istam gratiam nõ adoptatis ab eo qui vult omnes homines saluos fieri, & in agnitionem veritatis venire. *Eod. lib. cap.* 8.

LXXVII.

Quando animositatem qua tenentur vicerint, tunc veritatem poterunt tenere quâ vincuntur. *lib. vlt. contra Iulian. cap.* 13.

LXXVIII.

Dum contra regulam veritatis diabolicis armis pugnare nituntur, nos solicitudine respondendi faciunt cautiores: se verò decipiunt, antequam nostrorum valeant aliquem vulnerare. Cùm enim cæci euacuare thesauros fidei concertant, spe fidei vacuati, faciunt plenitudinem fidei Ecclesiæ, opitulante Dei gratia gloriari: & dum in hypocrisi vigilãt nocituri, nos quodammodo excitant dormiẽtes, vt arrepto clypeo veritatis, falsitati eorũ corde resistẽte vigilemus, Euangelica tuba nostris auribus insonante, Vigilate & orate, ne intrẽtis in tentationem. Confidunt ergo hæretici, Catholicam fidem impugnantes, in virtute sua, id est, in audacia cordis sui, gratia desolati, & in abundantia diuitiarum suarum, in operibus scilicet voluntatis suæ gloriantes.

Præfatione in lib. hypognosticωn, contra Pelag.

LXXIX.

Improbatio eorum facit eminere quid Ecclesia Dei ſentiat, & quid habeat ſana doctrina. *Confeſſ. lib. 7. cap. 19.*

LXXX.

Propria vocabula, proprioſque conuentus, non in ſermone tantùm, ſed etiam in ſuperſtitione meruerunt. *De vera relig. cap. 5.*

LXXXI.

Plurimùm proſunt, non verum docendo, quod neſciũt, ſed ad verum quærendum carnales, & ad verum aperiendum ſpiritales Catholicos. Vtamur igitur eis, non vt eorum approbemus errores, ſed vt Catholicam diſciplinam aduerſus eorum inſidias aſſerentes, vigilantiores & cautiores ſimus, etiam ſi eos ad ſalutem reuocare non poſſumus. *De vera religione, cap. 8.*

LXXXII.

Aduerſus nomen Chriſti, ſub velamento tamen nominis Chriſti, ad exercendam doctrinam ſanctæ religionis pullulant. *Epiſt. 3. ad Voluſian.*

LXXXIII.

Non poſſunt habere martyrum mortẽ, quia Chriſtianorum non habent vitam (doctrinam) cum martyrem non faciat pœna, ſed cauſſa. *Epiſt. 61. ad Dulcitium.*

LXXXIV.

Eorum inquietudine, vt Scripturas vigilantius perſcrutemur, vnde (ne ouili Chriſti noceant) eis poſſit occurri, tanquam de ſomno igna-

gnauiæ,nostra excitatur industria. *Epist.105.ad Sixtum.*

LXXXV.

Animositas eorum semper inquieta est:& sicut Spiritus sanctus requiem præstat mitibus & humilibus corde,ita contrarius &aduersus immites ac superbos inquietudine exagitat. *Epist. 119. ad Ianuarium.*

LXXXVI.

Si diligenter quæ ad Iesum Christum pertinent cogitétur, nomine tenus inuenitur Christus apud eos, qui tamen se Christianos [*Iesuitas*] vocari volunt: re verò ipsa non est apud eos. *Enchirid.ad Laurent.cap.5.*

LXXXVII.

Decipiunt eos qui negligentes sunt in Catholica fide, & ipsam fidem suam, quæ in Scripturis manifesta est, nolunt discere. *De agone Christiano,cap.28.*

LXXXVIII.

Scripturas Catholicas legunt,& eas non recte intelligentes, suas falsas opiniones contra earum sententiam peruicaciter asserunt. *De Genes.ad lit.cap.9.*

LXXXIX.

Multi,nomine Christiano animas decipientes,persecutionem patiuntur. Sed ideo excluduntur à mercede, quia nō dictum est tantùm, Beati qui persecutionem patiuntur; sed additum est,propter iustitiam. *De serm. Domini in monte cap.9.*

XC.

Sub vocabulo Christiano doctrinæ resistunt Christianæ, quasi possent indifferenter sine vlla correptione haberi in ciuitate Dei, sicut ciuitas confusionis habuit Philosophos inter se diuersa & aduersa sentientes. *De ciuit. Dei lib. 8. cap. 51.*

XCI.

Quantum in ipsis est, destruxerunt laudem quam ex ore infantium & lactantium perfecit Deus, dum quæstionibus vanis & scrupulosis exagitant paruulos, & eos nutriri lacte fidei nõ sinunt. *In Psal.* 10.

XCII.

Occiduntur, cùm in Scripturarum testimoniis opprimuntur. *Item.* Sibi blandiũtur, quod nullus melius credat illis, & quod nullus vincat populum ipsorum. *Homil.* 10. *in Apocalyps.*

XCIII.

Neque natæ sunt hæreses, & quædã dogmata peruersitatis illaqueantia animas, & in profundum præcipitantia, nisi dum Scripturæ bonæ non bene intelliguntur, & quod in eis non bene intelligitur, etiam temere & audacter asseritur. *Tract.* 18. *in Ioan.*

XCIV.

Prædicant Christum (*Iesum*) qualem sibi fingunt, non qualem veritas dicit: nomen habẽt, rem non habent. Et quærendo gloriam suam, oues Christi sparserunt potius quàm congregauerunt. *Tractat.* 45. *in Iohann.*

XCV.

XCV.

Audacias figmentorum suorum, quas maximè exhorret sensus humanus, ab occasione Euangelicæ sententiæ colorare conantur, vbi Dominus ait, Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modò: quasi hæc ipsa sint quæ tunc discipuli portare non poterant, & ea docuerit Spiritus sanctus, quę palam docere atque prædicare, quantalibet feratur audaçia, Spiritus erubescit immundus. *Tractat. 97. in Ioann.*

XCVI.

Iesu Christi non est vera apud eos gloria, apud quos tamen frequentem famam videtur habere cum laude: nam & bonum putant esse quod bonum non est, & Christum (*Iesum*) putãt esse quod Christus (*Iesus*) non est. *Tractat.* 100. *in Ioann.*

XCVII.

De furtis Dominicis peculia sibi fecerunt, & greges non Christi, sed suos contra Christũ pascere voluerunt. Plane in ipsis deprædationibus suis titulum illius (*nomen Iesu*) posuerunt, vt prædæ ipsorum quasi defenderentur per titulum potentis. *Serm. 61. in Ioann.*



DE STVDIIS IESVITARVM ABSTRVSIORIBVS, ET CONSILIIS EORUM SANGUINARIIS.

DE STVDIIS
IESVITARVM AB-
STRVSIORIBVS, ET CON-
ſiliis eorum ſangui-
nariis.

QVOD


V o d Marcus Cato olim dixit: *Mirum si Aruſpex Aruſpicem videns non mox rideat*; item quis non incommodè de Ieſuitis pronunciet, *Mirum ſi Ieſuita Ieſuitam intueatur, riſum cohibeat.* Loquor autem non de ſimplicibus Ieſuitis, quibus vel ob ingenii debilitatem, vel religionis opinionem, vel temporis breuitatem, abſtruſiores Ieſuitarum technæ ignotæ ſunt: hi namq; tanta diſciplinæ ſeueritate coercentur, vt nemo eorum, niſi ſagaciſſimus, ſubodorari poſſit, quid monſtri ſubſit. Sermo mihi eſt de ipſis Ieſuitarchis, Regentibus, Patribus, Prouincialibus, Generalibus, quorum tanta eſt, cùm omnium flagitiorum, tum maximè ſcortationum, prædationum & Magicarum artium communio atq; ſocietas; vt omnino mirum videri debeat, ſi quis alteri repentè fiat obuiam, ſtatimq́; quaſi quoddam exemplar intueatur ſui, non extemplo rideat effuſiſſimè. Placet igitur hoc loco nonnulla recenſere, quæ maximam partem ipſemet vidi, partim à Ieſuitis audiui, quos nominare poſſũ, & certè nominabo, ſi contra hæc vel hiſcere auſint: omnia autem nunc breuiter & rudi quadam delineatione, at ſuo tempore, Deo volente, fuſius, & prolixius, aſſignatis omnibus circumſtantiis.

Principio ſi ingrederis collegiũ aliquod Ieſuitarum, præcipuè in vrbe aliqua ampla & populoſa conſtructum: at quid dico? præcipuè?

cùm nullum ſit collegium in loco humili atque obſcuro : ſi, inquam , tale aliquod collegium ingrederis , iam primum ab initio intuere diligenter Ianitorem , alterum Charontem , aut potius Cerberum. Is eſt plerunque ſenio iam confectus , aut ſi iunior, certè exploratiſſimæ fidei , & taciturnitatis. Hic, ſi quiſquam alius, omnia myſteria Ieſuiticæ Cabalæ nouit. Apud hunc repoſita ſunt omnis generis virilia & muliebria veſtimenta. Hiſce variis modis, quàm quiſquam perſonam agere ſe poſſe confidit, induti Ieſuitæ, mirabiles exercent impoſturas. Nunc enim militari habitu conſpicui per plateas & compita vagantur, & in publicis lupanaribus ſcortantur & helluantur. Nunc ciuicam veſtem induti, ſe Lutheranos aut Caluiniſtas profeſſi, explorant in diuerſoriis , in foro , in tribubus, quid vulgò de ſe dicatur , quæ concilia voluantur , & ineantur. Nunc Doctoreo habitu clari , & annulis radiantes , & ſe ex profeſſo Pontificios aſſerentes , vbi ſciunt locupletiores è plebe quibus ſunt filii , eos tanquam aliud quid ſciſcitaturi adeunt , & in eorum familiaritatem ſe inſinuant miris modis , hortantur ad extremum , vt filios ſuos Ieſuitarum diſciplinæ committant : nam & ſe aiunt ipſis magiſtris vſos , & non pœni-

pœnitendos fecisse progressus. Nunc nobilem induti, conducto foris veredo, Principum aulas frequentant, caussa officii. Nunc exules præ se ferunt, sibique subueniri petunt, præsertim à Theologis Protestantibus & Caluinianis, vt explorent quid contra se scriptitent: & tales omnino puto fuisse eos, qui vos hactenus, Viri Reuerendi, tam miserè deceperunt, sed quo magis eiusmodi exploratores in posterum caueatis, dicam vobis postea quid consilii modò, modò, inquam, cœperint Iesuitæ.

Iam verò quorsum muliebres illæ vestes? Audite. Nullus Terentianus leno tam subducta ratione ad conciliandos meretricios amores fuit, quàm sunt hodiè Iesuitæ; ac præsertim is, quem dixi, Ianitor. nam quod alii in penetralibus & adytis templorum per auricularem confessionem consequi nequeunt, hic blanditiis & miris oblectamentis facilè impetrat, maximè apud pauperiores viduas, & mulierculas quæ filios eò mittunt, acquirendæ caussa eleemosynæ: & adde nomina in *ix*, vt Lotrix, Netrix. Has vbi in nassam attraxit impurissimus Portitor, etsi illæ laceris & detritis squalent vestibus, tamen aliis quas habet in promptu splendidè ipsas exornat, eas per varios amfractus & meatus ad venerabiles Dominos Patres deducit,

Isthæc autem non fiunt interdiu, sed sub serum crepusculum. Inde totam noctem helluationibus & tripudiis exigunt, iunioribus hæc non animaduertentibus. Habent enim ad hanc rem conducta, & concamerata, aut etiã subterranea loca & laquearia, vt illi qui olim Romæ initiabantur: quibus tam belluina fuit ad carnis lasciuiam proiectio, vt iram deorũ veritus Senatus, lupanar illud funditus euerterit, sicut Liuius testatur. Hæc de Ianitore Iesuitico. Quib. & hoc addo, si qui fortè talem & tantum apparatum vestimentorum conspiciunt, miranturque quid sibi velit, his respondetur: Isthæc omnia conseruari, agendarum Comœdiarum gratia. Sed hic est finis minus principalis.

Iam porrò templum vbi es ingressus, ne dubites, quin sub ferreo cælo ambules, Mars tibi imminet cruẽtus, non Princeps ille pacis: subter te luridum inferni barathrum, & officina carnificum. Referam hîc bona fide, quæ ipse vidi. Pragæ supra templi laquearia aliquot millia ferreorum cestuum, & flagellorum inuenies, vt Bohemis ferè mos est. Ad latera disposita sunt tormenta bellica, & musquettæ quàm plurimæ interpositis lanceis & bipennibus. In medio, vbi coeunt arcus laquearium, prægrandium missilium lapidum aggeres conspicies quàm plurimos. Similem apparatum deprehendes etiam Cracouiæ. De reliquis collegiis non dubito. At in quem finem, quæritis, obsecro! Fateor & mihi rem ab initio mirabilem

&

& prodigiosam visam: sed res sic habet. Sciunt Iesuitæ se in omnium propè hominum, etiam saniorum Papistarum odio versari, propter res turbulenter & nefariè à se gestas. Neminem enim curant, ne consortes quidem Religionis, dummodo Pontifici gratificentur, etiam cum totius orbis confusione & patriæ proditione. Quia igitur in perpetuis ciuium consternationibus hærent, maturè cautum sibi volunt eiusmodi apparatu bellico. Metuunt enim, vt egomet ab ipsis aliquoties audiui, ne sibi idem accidat, quod Templariis, qui licet impensè Pontificii essent, tamen propter nimiam ambitionem & auaritiam intolerabiles effecti, de consensu omnium Christianorum Principum & ipsius quoq; Pontificis approbatione, vno prope momento, per vniuersum mundum è medio sublati, atq; exstincti fuerunt. Idem accidit & Pythagoricis, Ethnicorum Iesuitis, in Italia. Verùm in templis potissimum reposita sua volunt præsidia, & arma, idq; propterea. siue enim exorto tumultu concursus fiat à Papistis auxiliandi gratia, vt subito armari possint: siue decipiendi & prædandi caussa confluant alienæ religionis asseclæ, vt supernè telis & lapidibus obrui queant. An verò hoc non est ex domo orationis facere speluncam latronum?

Sed audite quæ magis miremini & detestemini. nam hæc sunt aurea & eburnea præ illis quæ sequuntur. Subter pauimentum templi,

Græcii, & alibi, ſunt cauernæ & carceres ſub-terranei, ad quos ſupernè deſcenditur per cochleas. Huc conferunt, vt Virgilianus ille Cacus, rapinas & theſauros ſuos, ſtipantque cauernis ingens argentum: & ſic non modo ſummo cum voluntatis conſenſu, ſed etiam incredibili cum voluptate; ſunt pauperes, iſtamque paupertatem admirabili paupertate ſufferunt, inuoluntarios pauperes, vt indignos tam beata cruce, diris deuouentes. Diuitias autem ſuas ita plerunque condunt, vt directè & perpendiculariter ſubiaceant Altari maiori & eminentiori: atque ſic cùm Miſſam cudunt, ſuprà Marti, & infrà Mammonæ ſacra faciunt. In carceribus verò ſubterraneis, miram videas Bibliothecam, funes, fidiculas, gladios, ſecures, forcipes, cippos, numellas, faculas: quibus alligati miſeri, artuatim diſtrahuntur, ſi qui deueniunt in iſtorum Mezentiorum & Phalaridum manus. Non deſunt tragicæ veſtes carnificum, pileus pyramidatus, atris plumis ornatus, thorax fimbriatus, & diſſectus; caligæ hydropicæ & follicantes, ad talos vſque demiſſæ, vt vel intuenti horrorem incutiant. In quem finem, malum, hæc officina parata eſt, à viris religioſis, & mitiſſimi Saluatoris noſtri æmulis? Audi. iſtiusmodi inſtrumentis intellectum diſci-

pulorum

lorum captiuum ducunt, sub obsequium Iesuiticum. Si quem enim non duraturum suspicantur in proposito, aut erupturum, aut arcana Iesuitica proditurum metuunt; hunc cippo inclusum, diuque fame & inedia maceratum, tanquam exquisitissimis tormentis, enecant. Nihil ipsis affingo. Scribo quod res est. Fuit Græcii ante biennium, Iacobus quidam Clussæus, præstantis ingenii adolescens. Hunc virgis & loris ob rem leuiculam miserrimè concisum, cùm se profugiturum, & quæ præterea in se flagitiosè commisissent, palàm conquesturum affirmaret, eiusmodi carceri mancipaunt; ex quo postea nunquam emersisse visus. Nulli iuniorum dubitabamus, quin diris cruciatibus exspirasset.

Hoc inauditum Tyrannidis exemplum suo tempore consignatis omnibus circumstantiis, quod ipse miser Clussæus facturus erat, ego diuulgabo. Quin & aliud huic non dissimile facinus in Martinum quendam (cuius parentes opinor adhuc viuunt Miltenbergæ aut Milbergæ) scelerato latrocinio à Fuldensibus Iesuitis admissum, omnium hominum oculis subiiciam. Et quot existimatis istiusmodi barathro deuoratas & absumtas feminas? quot interemtos infantulos? quot luculenti & ampli pa-

trimonii ſublatos adoleſcentes? Ego quidem non exiſtimo ſed firmiſſimè ſtatuo, quoties ſub noctem auditi eiulatus, vagitus, ſuſpiria, & lamenta longè miſerrima, gelidiſſimum exigente metu per corpus ſudorem, & pilis horrore rigentibus, crediderunt ſimpliciores eſſe animas recens defunctorum; ego credidi recens natorum occiſorum. Ceterùm nequid Ieſuitis ad extremam diabolicam malitiam deſit, ſolent illi nonnunquam in eiuſmodi ſubterraneis locis, diabolo iucundum præbere ſpectaculum. Terrificas induti laruas, nouitiis ad hanc Tragœdiã euocatis, horrendo cum boatu occurrunt, exploraturi eorum conſtantiam & præſentiam animi. Nam qui fracto & deiecto ſunt corde, eos ceu degeneres, ad Magicarum artium penetralia non admittunt, ſed ad inferiorum artium veſtibula abiiciunt: audaciores diligenter notant & ſeriis ſtudiis reſeruant. Sed res ſæpenumerò cadit infeliciter, vt Anno 1602 Pragæ contigit, dum quinq; Ieſuitis primariis, ſub diabolicis laruis iuuentuti obludentibus, immiſcuit ſe ſextus, & is quidem haud dubiè verus diabolus, qui vnum ex quinque fictis diabolis, medium complexus, ſic preſſit, vt triduo poſt moreretur. Factum id lippis & tonſoribus notum eſt Pragæ. Nec tamen Tragico iſto exitu deterriti, in ſacrilego Magiæ ſtudio obſtinatè pergunt. Inter omnes autem Ieſuitas Magicarum artium peritia eminet, *Pere Cotton,* Gallus, quem Rex ipſe tanti

facit,

facit, vt Regiæ mensæ adhibeat, & familiares cum eo misceat sermones: de quo ipsi iactant Iesuitæ quòd speculũ habeat constellatũ, quo quidquid Rex scire aueat, perspicuè ipsi repræsentet. nec esse tam abstrusum, aut geri & consultari in reliquorum Monachorũ & Monacharùm intimis conclauibus, quod illius constellàti, vel potius condiabolati, speculi beneficio, non in lucem proferre possit. Et quidem huius Iesuitæ Magi opera confisi sunt Iesuitæ potentissimum quendam Imperii principem, cumq; Euangelicum, in partes suas pertrahere, quandoquidem is Magico studio mirificè delectatus fuisse dicebatur. Quos verò inter sese Nouitios huic artificio perdiscendo deputarunt, iis explicant nongentas illas Propositiones, quas Mirandulanus ille comes Romæ affixit: item Iohannis Trittenii librum: item Cornelii Agrippæ tractatum de occulta Philosophia: item Theophrastum de constellatione & sigillis Planetarum: item nescio cuius Abbatis Steganographiam: item artem Pauli ad conciliandas reuelationes. vbi diuum illum Paulum intelligunt, quem dicunt arte quadã Magica instructum, tantas percepisse diuinitus reuelationes. eademq; calluisse dicunt & Iohannem, imò Christum ipsum omnibus numeris absolutissimum fuisse Magum non dubitant, vt egomet ab ipsis non semel audiui & nominare possum à quibus. Et hactenus de Templo Iesuitico, quibus addo subterraneas

illas latebras, & Circæa antra, ſubeſſe plerunque choro, aut periſtylio, non vbi populus conſiſtit.

Nunc vbi tè contuleris ex Templo in Muſæum (de Triclinio enim, cubiculis, & area recreatoria, & de diſciplina Nouitiorum, qui iam votis ſe aſtrinxerunt, & de conuictu ceterorum diſcipulorum, qui Ieſuitarum curæ ſunt commiſſi, item de methodo & ordine ſtudiorum, nihil nunc quidem dicam, ſed in aliud tempus differam; & ſunt pleraq; omnia aliunde nota) inquam, in Muſæum te contuleris, ad dextrũ latus te conuerte, videbis ibi lectiſſimam & conquiſitiſſimam Bibliothecam omnis generis authorum. libri omnes in pelles aut membranas nitidiſſimas compacti auro & argento radiant: quorũ vſus eſt quotidianus, illi pulpitis diſpoſiti, in prælõga tabula cum catenulis ſunt alligati. Ad interiorem Bibliothecam ſolis ingredi licet Patribus, & libros inde mutuari quos volunt: Iunioribus proſtant illi quotidiani, nec ſine venia Regentis è reliquis vel apicem excerpere licet. Ceterùm in hac Bibliotheca nulli ſunt libri hæreticorum, ſed probatiſſimorum auctorum & Catholici omnes: Indignos enim iudicant vt inter reliquos locum aliquem obtineant, & fortè metuunt ne peſtifera contagione ceteros inficiant. Quare ad ſiniſtrum tu reſpice, ibi cernes miſeros hæreticorum libros, in luctu & ſqualore conſtitutos, & quidem atris pellibus, atris me mbranis

ligatos,

ligatos, & atro colore desuper tinctos omnes. Ex his ne Patribus quidē eximere fas est quos desiderant, sine præscitu Regentis: Iunioribus autem ne petere quidē licet, nisi carmine prius, aut alio scripto, hunc ipsum autorem, cuius scripta cognoscere cupiunt, omni genere conuitiorū proscidērint. Inter hasce Bibliothecas, medium occupat Musæum, multis cellulis cæruleo velo ad inuicem separatis distinctum: dextrum latus obsident Patres, sinistrum Iuniores qui iam ordines aliquot susceperunt. Reliqui Nouitii communibus conuictoribus sunt immixti, vt ipsos obseruent, eisq; Iesuitici ordinis suauitatem & excellentiam continuis vicibus deprædicant, maximè locupletioribus patrimoniorum suorum vnicis.

De studiis Iesuitarum hîc nihil subiiciam, sed describam breuiter examen Prouincialis, quod nuspiam exstare arbitror. Vnusquisque Prouincialis ab ea prouincia, vel regno potius, quod inspectioni & curæ suæ commissum habet, denominatur. Eius officiū est inuisere collegia, eorūq; supputare reditus, & census insuper annotare diligēter, quinam ex magnatibus liberos in collegiis erudiri curent, & quot illorū sint numero? num quotannis fiat aliqua accessio discipulorū, & amplificatio fortunarū & opū? num qui sint & quot ex Lutheranismo cōuersi? Si nulli, aut etiā aliqua facta Pōtificiæ religionis imminutio, aut iactura bonorū; exprobrat negligentiam & socordiam, mandatq;

ſeueriter, vt acceptum damnum reſarciant. Quod ſi geſſerũt ſe egregiè, multos conuerterunt, multum comparſerunt & corraſerunt, omni laude cumulat, & cælo effert. Inſuper ſciſcitatur, quænã ſit vicinorum hæreticorum de ipſis opinio, quænam conſilia magnatum? quales habeant conuentus, & quot, & vbi? quid decernant, quid volutent? Item, an hæreticorum Principes crebrius ſint domi, an alibi? ad quoſnã proficiſcantur frequentius? quali quiſq; ſit ingenio? quibus rebus vt plurimum delectetur? an curam aliquam ſuſcipiat Reipublicæ? an ſtudio & amore aliquo teneatur religionis? an potius vino, veneri & venatui indulgeat? an quos habeat in aula Catholicos? quinam ſint populares rumores de ſuis Principibus? num Eccleſiæ aduerſariorum ferueant? num paſtores Eccleſiarum ſint viri docti & diligentes, an verò ſomnolenti & illiterati? num Theologica facultas in vicina Academia hæreticorũ floreat? num crebriores habeant Theologi diſputationes, & contra quos maximè? quos libros & de qua materia in lucem ediderint nuperrimè? Ad hæc & alia ſi reſpondeant Regens & reliqui Patres appoſitè, mirificè prædicat induſtriam & vigilantiam: ſin minus, eosq; adeò rerum iſtarum neſcios deprehendit, acerbè vituperat. Quid agitis, inquit, vos ſomnolenti & deſides? cur perditum itis Romanam Eccleſiam? quomodo ſummo Pontifici hãc inertiam veſtram probabitis? cur inſinuati

vos

vos agendis rebus? cur metuitis? cur non intrepidè rem aggredimini? Dudum hæc gesta, dudum perfecta oportuit. Videte vigilantiam hæreticorum incredibilem; & vos stertitis? His & similibus verbis ipsos increpat, & exacuit. Tandẽ quærit de discipulis, conuictoribus, Nouitiis & reliquis, quot eorum sint numero, quanti cuiusq; profectus? ad quod quisq; studium inclinet? num quis inter eos spinosior & scrupulosior? Talẽ enim à Theologico studio prorsus remouendum existimat, nisi scholasticis disputationibus probè exercitatũ & opinione religionis imbutum. Quærit præterea, num quem habeant in grege, qui pro amplificanda Romana Ecclesia laudabili aliquo facinore se obstringere, & vitam deniq; profundere non dubitet, siquidem necessitas aliquando flagitare videatur? Ad extremum omnia isthæc consignata Generali transmittit Romam, per quem immediatè significantur Pontifici. Atq; sic per totum orbem Christianum nihil geritur aut consultatur, quod non per hos Imperii proditores Papæ innotescat. Per Prouincialẽ etiam Iesuitæ ab vno collegio in aliud transferuntur, idq́; fere triennio quolibet.

Addam postremò, loco Corollarii, miras Iesuitarum technas, quas nuper admodum communi consilio fabricatas ad subuertendum Ecclesiæ & Reip. statum in Imperio Romano in effectum traducere conati sunt, & conantur etiamnum hodie. Est enim hic eorum finis vni-

cus, quo pacto commissis inter sese Imperii Principibus, & sublatis è medio præcipuis Ecclesiæ Doctoribus, Hispanicam Tyrannidem & Primatum Pontificis in Germaniam subinferant. De qua re ipsum Prouincialem *Del Rio* verba facientem commemini. Consilia & machinæ ferè sunt eiusmodi vt sequitur.

Principio videndum & laborandum, quomodo potissimi Imperii Principes à se inuicem abalienentur. Hic finis est. Medium vt abalienentur, est ipsa Religionis inter ipsos diuersitas. Cæsar ita se declaret, Religionis libertatem locum non habere, nisi prius ablata restituantur post Passauiensem Transactioné. Hoc illi certò renuent, & excutient. Mittat igitur Principes, & idem flagitet à ciuitatibus Imperii. Illæ aut obedient, aut non obedient. Si priùs, salua res est: si posterius, proscribat, & vicinis Principibus, & semper vni Caluiniano, alteri Lutherano diripiendas tradat. Non enim putarunt Pontificii tam prudentes fore Principes Protestantes in caussa Donawerdensi, quin se vel ad minimum Palatinus aut Wirtenbergicus oppositurus esset Bauaro, quo facto proscripti fuissent, & ipsi, & omnis conscissa pacificandi ratio, non modò cum Pontificiis, sed etiam Caluinianis. Quia verò consideratius egerunt, quàm existimatum fuit, ad has conuerterunt se fraudes Iesuitæ. Nam vna atque altera ciuitate Imperii proscripta, nullus sibi temperaturus est Principum, quin malit sibi potius, quam alte-

ri æmulo ex communi præda consultum. Hoc in genere. In specie autem adnitendum esse, vt commissis inter sese Saxonicis Principibus, potentia eorum frangatur. Id autem fieri posse commodissimè. 1. Si Primatus Magdeburgicus, qui nunc vacat, Electori Coloniensi Bauaro decernatur administrandus. id neq; Brandeburgicus, neque Saxo facilè concesserint. 2. Id si non succedat pro votis, aliquid caussæ obtendendum, quare videatur aut videri debeat, ab Electorali dignitate remouendus Saxo. Si enim olim Imperii Proceres à Cæsareo culmine deiecerunt Wenceslaum, quia ipsis videbatur ignauior; habere etiam posse Cæsarē iustam caussam, quare Saxonem istum quotidie ebrium ab Electorali dignitate remoueat. Tradat & restituat igitur hanc dignitatem familiæ Winmariensi, Et quia Principes adhuc minorennes, administrationem committat Electuræ Henrico Brunsuicensi Principi litterato & vigilanti. Hæc res sine dubio incredibiles excitabit turbas per totam Saxoniam. Ita mutuis se conficient & atterēt viribus, vt communi mox superuenturo hosti, resistere nequeant. Brandeburgicū & Pomeranos quod attinet, dandā operam, vt affinis Cæsaris Rex Poloniæ, cum patruo suo Rege Sweciæ Carolo sic paciscatur, vt Prussiam communi sectioni subiiciant, & in capita diuidant, contra quod se Brandeburgicus totis viribus opponet. Hassiæ verò Landgrauium adurgendum, vt cum

patrueli Ludouico diuidat hereditatẽ æquabĩliter, & Hersfeldensẽ administrationẽ resignet Episcopo Herbipolensi: ni faciat, vt proscribatur, & Ludouico ditiones eius assignentur. Wirtenbergicum porro ducem & Electorem Palatinum facilè committi posse inter sese, si ad restitutionem cœnobiorum aliquot Dux adigatur, & si nolit proscribatur, assignatis Electori vicinis aliquot monasteriis, & inter ea cumprimis vno, quod pridem desiderasse dicitur.

Hæc sunt funesta Iesuitarum consilia, quæ ex ore ipsorum audiui, summo cum stupore & admiratione; suntque quàm plurima alia quæ non omnia mihi occurrunt. Et in hunc finem spectat pax Belgica & Turcica: sed Deum credo sic rem direxisse in Ecclesiæ salutẽ, vt quas illi inimicitias inter Germaniæ proceres serere nituntur, eas iam conspiciãt flagrare inter Cæsarem & fratrem eius Matthiam, Pontifici addictissimos & charissimos filios. Quin & hoc deliberatum & consultatum est à Iesuitis, vt emissis aliquot audacissimis sicariis, præcipuè Euangelicæ & Caluinianæ Ecclesiæ Doctores veneno tollant, tanta intoxicandi peritia instructis, vt patinas, salina, malluuia, lebetes & quæ reliqua ad vsum quotidianum destinata sunt, sic inficere valeant, vt licet decies extergantur, tamen atrocissimi & præsentissimi veneni vim retineant. Quapropter omnes pios & sinceros Ecclesiæ Antistites hortor, vt in posterum sibi cauere velint, nec cuiq; facilè fidem

adiun-

adiungant; nisi prius probè fidem explorauerint. Hæc in mentem mihi nunquam venire potuissent, nunquam etiam venissent, nisi à primariis Iesuiticæ colluuiei sociis hæc singula & multo alia plura accepissem, quæ in patriæ & Ecclesiæ salutem in apricum producere debui, nunc quidem solum delineando, at suo tempore, DEO volente, omnibus coloribus & circumstantiis, loci, temporis & personarum exprimendo.

Augustæ Vindelicorum 21. *Martii, Anno* 1608.

IOHANNES CAMBILTON.

QVÆSTIONES SPIRITVI IMMVNDO AD EXPLICANDVM propositæ

A

P. COTTONO

Societatis, quam dicunt, Iesu.

ex autographo expressa cum fide.

LECTO-

LECTORI SALVTEM.



EXENNIVM abiit, cùm die Purificationis, qui est secũdus Februarii, Lutetiam venit in ædes Aduocati in Parlamento celebris Domini *Toussaincts Chauuelin*, vico Bernardinorũ, puella *Adriana du Fresnes*, nata Guerbigniaci, sex milliaribus Ambiano, parentibus pauperculis, & labore diurno vitã tolerãtibus, quos & hodie superesse aiunt. Ostentabatur ea velut à Diabolo possessa, & crebro ad *D. Victorem* deducebatur; vt coniurationib. & exorcismis restitueretur. Concurrebant ad id, aut spectaculũ aut officiũ, omnis generis homines, ii maximè quos Ecclesiasticos vocant: nec tantâ tamẽ frequentiâ Episcopi, quantâ ad *Martham Brossier*, cuius è corpore meminimus Diabolũ, non istis formulis, sed iusto Parlamenti imperio depulsum. Frustrà verò in hac tentatis Ecclesiasticorũ remediis, domũ illa rediit: & cũ anno 1604. eodem afflicta malo, Lutetiã repetisset; per duos mẽses, aut ipsa, aut qui eã habebat, Dæmon impurus, multorũ curam atq; industriam hominũ exercuit. Confluebat ad eam turba ingens, spectandi quidã studio, alii experiũdi, si quid fortè succederet. Inter eos COTTONVS Pater, vt est ad omnia curioso & excellẽti ingenio, & ipse in arenã descendit, strenuus gladiator: aliâs certè vetus, & sciens; hîc, nouus, nec satis gnarus artis: doctus capere & deuincere verbis homi-

num mentes; hic, audax ipſum aggredi Acherunta. Sed conſcius inſcitiæ, ad libros confugit, quibus artis ſecreta continentur, vnum & alterum commodato accipit à viro docto & religioſo: quibus perlectis, quæ legendo cognouerat, ſtatim transferre ad vſum parat: neq; abſtitit temerè, certus nihil eſſe tã difficile, quod non exſuperet ad omnia facti hominis labor improbus. Itaque legere, addiſcere, atque tentare pergit: nec contentus vulgari effectu, ſuam hîc occaſionem ratus, DEI myſteria, creationis arcana, abdita Naturæ, Principũ, Magnatum, etiam (vt eſt homo nihil humani à ſe alienum putans) muliercularum ſecreta, de Mundi Principe, illo mille artifici & multiſcio, ſed *mendacii patre, Diabolo*, cognoſcere aggreditur. Ne quid memoriam fugeret, manu ſua breuiculum conſcribit: quod ſolet etiam in Confeſſionibus Societas, non ſatis vbique feliciter: in id coniicit *Quæſtiones* omnis generis, Diabolo proponendas: diuinas, naturales, politicas, cœleſtes, terrenas, inferas, meretricias; vt Luciani dialogi, varias. Nos verò, prophanos homulos, & viles, quid retulerit, ſcire nefas. Sed indicem ſuum prudens imprudens, libro inſerit, quem ad diſcendam artem acceperat à docto, quem ſupra dixi, & bono viro: is libro recepto, in chartulam iſtam incidit manu Patris exaratam, cuius autographum viſum multis illuſtribus & clariſſimis viris, omniq́ue exceptione maioribus: nos, exemplum, augendo atq; illuſtrãdo

Amphi-

Amphitheatro Honoris Iesuitarum, producendū putauimus, si qui fortè ordinis eiusdem, humanæ inscitiæ misertus, breuius & obscurius proposita diducere atq; explicare; & sacrum ignē, fraude bona, non tamen ætheria, sed obscura Ditis domo subductum, inferre Gentibus voluerit. His interim, Lector, vtere pro tuo captu, & Valē.

PEr merita S. Petri Apostoli, S. Pauli, S. Priscæ Virginis & mart. Sanctorum Mosis & Ammonis militis martyrum, S. Athenogenis mart. & Theologi, S. Voluziani Turonensis Episcopi, S. Leobardi reclusi, S. Liberatæ virginis.

Quid Deus me vult scire circa R.R.
Quid circa commorat. in Curia.
Quid circa admoniti^es pri^as & publicas.
Quidquid circa viam & iter.
Quidquid circa confessionem eius generalē.
Quidquid circa commorat. cum patribus.
Quidquid circa de la Val.
Quidquid circa off^n D^num, cognitionem linguæ Græcæ & Hebraicæ.
Circa vota, sacrum, casus conscientiæ.
Circa conuer^nem animarum.
Quidquid circa canoniz^em vtrum vrgere me velit.

Quidquid circa bellum cum Hisp. vel hæret.
Circa missionem in Franciam nouam, & totam oram aduersæ Americæ.
Circa viam, quam tenere debeo, vt suadeam efficaciter.
Viam vt abstineat à peccatis.
Periculũ cui ire obuiam possim cõtra Dæm.[ni]
Procurarunt vt aperiatur.
An sit baptizata.
An periculum Illu[mi] in Maria Valentia.
In d[nãm] de la Faye Scand. de Clarencal.
An Sanctimonialis poss.
Circa exitum tuum dic horam, modum noctur.
An p[m] aliquod occultum cui obnoxius.
An Linguæ à DEO.
Chamier, Ferrier, quo pacto.
De concionibus quo modo vtilius, quibus libris, qua ratione.
Quod maius periculum nostrum.
Cui restitutioni obnoxius sit Rex.
Quid D. Acaria dici velit de d. Iard.
Quid fratribus, quid sororibus.
Quæ apparitio illa fuerit in Occitania.
Expediat matrem Pasitheam venire.
Soror Anna de S. Bart[io] proficisci Pontimuss.
Circa R. & D. de Ron quid me scire.

Quid

Quid sperari de conuers^e eius possit.
Qui hæretici ad fidē accessuri facilius in aula.
Quidquid periculi creatur in Societatem à Dæmonibus.
Quidquid in me.
Quid vtiliss^m ad conuer^nem omnium hæreticorum.
Quis Pictas^u Coll^ii funda^nem maxime impediat, & quid.
Quid circa vocat^em neptis sit.
Quis euidentiss^i Scripturæ locus ad proban. Purgat. & ad probandam Inuoc. Ssrū.
Auth^m Papæ & ca^nes nostrum quæ petit.
Quomodo potuerint animalia in arca Noe.
Qui filii dei filias hominum dilexerunt.
Pedibus ne ince''erit serpēs ante Adæ lapsum.
Quandiu in cælo ipsi & in Parad. terren. parentes fuerint.
Qui sunt septem Spiritus ante thronum Dei.
Archangelorúmne Rex.
Quid, vt firma pax cum Hisp^u.
Si quid vult me scire per te Deus de tempore, quo hæresis Caluini extinguetur.
Si quid de patre meo & statu eius, cura, & fratribus Ioanne & Ant^o.
Quot boni ad fidem facientes fuerunt deprauati ab hæret.

Circa Geneuæ plagiarium quid velit Deus me ſcire per te.

Quid circa profectionem Patris generalis in Hiſp.

Aequare ſolo.

Quid circa breue & oleum Patris generalis.

Quid circa Baqueuille & adoleſcentem, qui prope Diuam Mariam degit.

Quomodo inſulæ animalia acceperint & eo homines poſt Adamum peruenerint.

Vbi paradiſus terreſtris.

Qua ratione conuerti rex Angliæ, regina & regnum maxime & facile queant.

Turca qua ſupplantari ratione, qua conuerti infideles.

Quota pars reciderit Angelorum.

Quæ adoratio Dei in Cherubin.

Quo pacto referri poteſt.

Quo pacto reparare poßim omnes defectus quos vel ſcribendo, imp̃rndo libros commiſi, vel etiam concionando.

Quid maxime illum vrgeat in exorᵐᵒ.

Et dæmones alios.

Quid circa Geneuæ conſeruationẽ tam ſæpe.

Quid circa Regis ſanitatem.

Quid circa compoſitionem animorum inter Rgem & Magnates ſubditos.

Quo

Quo pacto iuuari possit dnūs de Verdun;
Quid impulerit.
Quid circa vrbes obsidionales.
Quid circa Lesdeguierum & eius conuer^{nem}
Quid circa honorem mearum reliquiarum.
Quid circa lrās ad D. de Clarancal & illam potissimum.
Quid Ambianense coll^{um} impediat, quid Trecense.
Circa durationem hæresis.

Deuter. XVIII. 9.

Quando ingressus fueris terram, quam DOMINVS DEVS *tuus dabit tibi, caue ne imitari velis abominationes illarum gentium: nec inueniatur in te, qui lustret filium suum aut filiam ducens per ignem: aut qui ariolos sciscitetur & obseruet somnia atq; auguria: nec sit maleficus, nec incantator, neq; qui* pythones consulat, *nec diuinos, & quærat à mortuis veritatem. Omnia enim hæc abominatur* DOMINVS, *& propter huiusmodi scelera*, delebit eos *in introitu tuo, &c.*

Tertul. Apologet.

Cui autem opus est perscrutari super Cæsaris salute, *nisi à quo aduersus illam aliquid cogitatur, aut post illam speratur & sustinetur?*

Paulus I.C. v. sentent. tit. XXI. §. 9.

Qui de salute principis vel summa Rep. Mathematicos, ariolos, aruspices, vaticinatores consulit, cum eo qui responderit, capite punitur.

Iul. Firmicus 11. Mathes.


Nec oportet, nec licet vt de statu Reip. nefaria curiositate dicamus, &c.

Thomas in 2. 2. q. 90. art. 2.

Non licet Dæmones adiurare *per modum deprecationis, quia id ad beneuolentiam pertinet, qua non licet ad Dæmones vti* 1. Cor. 10. *ne socii Dæmonum fiamus. Licet tamen per virtutem Diuini nominis eos adiurando eiicere, ne noceant*: non autem vt aliquid per eos discamus, aut consequamur.

D. August. lib. x1. Confess. cap. 12.

Ecce respondeo dicenti, Quid faciebat DEVS *antequam faceret cœlum & terram? Respondeo, non illud quod quidam respondisse perhibetur ioculariter eludens quæstionis violentiam:* Alta, *inquit,* scrutantibus, gehennas parabat. *Aliud est videre, aliud ridere. Hæc non respondeo. Libentius enim responderim, Nescio quod nescis; quàm illud vnde irridetur qui alta interrogauit, & laudatur qui falsa respondit.*



CONSILIVM DATVM AMICO

DE


RECVPERANDA ET IN POSTERVM STABILIENDA

PACE REGNI POLONIÆ:


In quo demonſtratur, pacem nec conſtitui, nec ſtabiliri poſſe,

quamdiu IESVITÆ *in Polonia maneant.*

Conuerſum ex Polonico in Latinum.



PRÆFATIO.



VOD Diogenes olim, viri Proceres, ciuibus suis sub publico periculo variè occupatis, dolium versando, ne otiosus esset, fecit, id mihi hoc afflicto Reipub. tempore, patriaq́; laborante, vobisq́; de publica salute consultantibus, faciendum putaui, idq́; non fallendi otii caussa, sed vt ciuis indigena patriæ meæ, quantum per tenuitatem possem, talentulo hocce meo subuenirem. Illud quantulumcunq; sit, obnixè rogo, vt pro vestra benignitate boni consulatis: &, si lubet, animis vestris perpendatis: ac malis Reipub. patriæq; iustis remediis subueniatis. Medicorum autem more si quis per prognostica, indicia, & varias circumstantias morbos Reipub. consideret penitius, agnoscet facilè eorundem genuinam substantiam, immensam magnitudinem, & admirandam planè varietatem. Deinde si morborũ publicorum caussæ interius & foris diligentius perpendantur, primam certè, & omnium maximè principalem, Iesuitarum exquisitissimas


artes

artes, & astutissimam omniũ sibi subiectorum ad conatus suos promouendos DISPOSITIONEM, *facilè cordatus quisq; deprehendet: adeò vt quicquid vspiam malorum in Repub. nostra præteritis annis acciderit, magna ex parte solis illud Iesuiticis artibus imputandum veniat. quamuis ne illi quidem excusandi sint, quorum negligentiâ veneno huic concessum fuit tam propè ad cor Reipub. penetrare. Et nisi maturè remedium huic Reipub. morbo applicetur, & acerrima illa bilis ex ægro & ferè non absumpto Reipub. corpore remoueatur, nullum est dubiũ, quin de salute patriæ nostræ actum sit: ita vt in posterum (quod Deus auertat) de funere Reipub. citiùs sit cogitandum, quàm de salute restituenda.*

Et quia morbus ille inueteratus satis acutè patriam nostram hactenus affligit, curatio eius nulla alia suscipi, imò ne cogitari quidem poterit, nisi caussæ illius mali sine cunctatione de corpore Reipub. ægro à radice remoueantur: hoc est, vt Iesuitæ, eorumq; dispositoriæ artes è Regno Poloniæ prorsus eliminentur. Nam si ex aula Regia tantùm, aut ex aliquibus ciuitatibus depellantur, siue etiam in ordinem redigantur, in monasteria occludantur, &c. Reip. corpus integræ sanitati nunquam tutò poterit restitui. Dum enim ignominiam inultam Iesuitæ nunquam ferent,

recrudescent protinus Reipub. vulnera, quando isti socij quacunque oblata occasione ad pristinas Reipub. turbandæ artes, tanquam ad professionis suæ vnicum & genuinum scopum, astutè recurrent. Vestrum itaque est, Proceres, occasionem præsentem non negligere. Deus & bona caussa cōtra hos socios pro vobis militant: Patriæ calamitas à vobis remedia suo iure postulat: Regia dignitas consilium & auxilium expetit: Cleri conditio subsidium rogat: Senatus authoritas idem requirit: Nobilitatis status restitutionem in integrum vrget. Oppressio denique plebis, viduarum, pupillorum vestrum implorat patrociniū. Vos modò, generosa pectora, forti constantia sine mora remedium hocce adhibete, egregium munus suscipite. Hoc vt feliciter ad Dei gloriam, Reipublicæ salutem, & vestri nominis immortalem laudem perficiatis, etiam atque etiam opto.

PETIS



PEtis à me, vt tecum per litteras consilia & cogitationes meas communicem, qua nempe ratione existimem præsentes Patriæ motus sedari, & publicis malis efficax aliquod remedium adhiberi posse. Quæ cura in te mihi, mi frater, vehementer probatur, optoq; vt Respub. tui similes ciues permultos hoc tempore habeat. Vtinam verò is egomet essem, qui heic non solum benè consulere, sed etiam præclarè facere & efficere aliquid possem: nec tibi nec Patriæ opera isthæc mea defutura esset. Nunc autem nosti, quàm curta mihi sit ad res tam arduas diiudicandas supellex. Et vt multò ab hac parte locupletior essem, quàm me esse agnosco, non tamen video, quis in tanta rerum confusione priuato consilio locus superesse possit.

Quia tamen nil impedit, quò minùs inter amicos amicè, & si non tam exactè, pro modulo saltem de præsenti statu disquiratur: tuo desiderio, quantum à me præstari potest, satisfacere conabor.

Vtq; discursus mei exordium è re nata capiam, scire te velim, me, quando litteras tuas accepi, hujusmodi fortè autoris lectioni intentũ

fuisse, qui inter cetera narrat: Priusquam scientia medica in artis formam redigeretur, gentibus quibusdam in more fuisse positũ, vt ægrotos, qui grauius laborabant, in publicum deferri curarent, adiunctis eis certis hominibus, qui prætereuntes percontarentur, Num vel ipsi tale quid morbi experti sint, aut in aliis obseruauerint? Et qualia remedia, quove successu contra illud sint adhibita. Hæc cum mecum animo reputarem, illæ mihi cogitationes inciderunt: Faxit Deus opt. max. vt hoc tempore Reipub. Polonicæ nostrûm omnium Matri idem officium ab iis præstaretur, qui pro eius genuinis Filiis haberi volunt.

Polonia sapiret si alienis infortuniis euentus ad suam cautelam obseruaret.

Si quæris, qua ratione hoc fieri posse existimem? sic cogitabam, Eam vt nunc quàm maximè ægrotat, in publicum experientiæ Europeæ forum producendam, eiusdemq; vicinos, quibuscum hanc mundi partem incolit, sedulò percontandos, Nunquid istius mali, quod ipsam premit & miserrimè affligit, ipsimet experti sint, & quibus remediis contra illud vsi sint?

Me autem spes certa fouebat, illud non frustra nec citra successum factitatum iri. Sic etenim iamdudum persuasus sum, Præsentẽ morbum, quo laboramus, planè eiusdem generis esse cum illis tumultibus, qui hactenus reliqua Europæ Christianæ regna concusserunt & grauissimè afflixerunt. Quorum nempe contagiũ à meridie & occidente in hunc extremum Orientalis septentrionis angulum ceu vi ventorũ

ex

ex opposita plaga continuò afflantium propellitur. Differentia saltem in eo est, quòd pestis hæc Poloniam, post reliqua Europæa regna ferè omnia, vltimo loco inuasit. Qua in re benignissima Dei prouidentia Patriæ nostræ hoc præ multis aliis contulit, vt comparium suorũ euentus & exempla hinc ad imitationem, illinc ad cautelam præ se habeat.

Fatalia huius seculi Europæ mala Poloniam ferè inuadunt.

Cùm itaq; prædictæ Nationes non solùm morbi vim, sed etiam curationis processum sustinendo magna ex parte superarint, quis dubitet, quin ab iisdem optimum malis nostris & efficacissimum consilium petere possimus? Ad quod obtinendum nullis nobis sumptuosis legationibus, nulla exploratorum opera opus erit, cùm in tam parata rei librariæ facultate, vtilitati nostræ abundè iam prospectum sit. Dum in plerisq; Nationibus viri exercitatissimi, qui malis ipsis interfuerunt, Morborum suorũ politicorum, & quæ sub ipsis perpessi sunt, grauissimorum symptomatũ historiam accuratè descriptam in publicum emiserunt. Vbi interdum diuersarum partium, ceu dissidentium Medicorum factiosas quidem, sed elegantes & eruditas controuersias, quas sub ipsum morbi æstum ediderunt, nobis consulere licebit. Qua commoditate si tempestiuius vti voluissemus, malum, de cuius sanatione nunc ambigua successus spe deliberare cogimur, fortassis, auxiliante Deo, potuisset auerti. Cum verò occasio hæc nobis oscitantibus perierit, bonum

esset, si saltem medendi tempus diligentius obseruaremus.

Nec turbare nos debet, quod hæc medendi ratio eruditioribus Medicis non admodũ probatur: qui nempe morbi ipsius naturalem dispositionem considerari, caussasq́; domesticas, vt ita loquar, expendi, & ad easdem remedia adhiberi iubent. Quem curandi modum, vt rationi consentaneum, non vitupero: quin potius opto, vt talis aliquis Æsculapius nobis cõtingat. De quo ipso tamen spes mihi admodum exigua affulget, cùm peregrinis Medicis non immeritò diffidamus, inter nos verò ex mille vix vnus inueniatur, qui à morbi contagio ita liber sit, vt cum spe alicuius profectus, cura hæc ei committi possit. Exterorum itaq; experimenta omnia nôbis in consilium sunt adhibenda.

Huius verò rei modum vt melius intelligas, mearum, quas iam superius attigi, cogitationum rationes aliquantò dilucidiùs explicabo.

Dixi, præsentes nostrates turbas ex eiusdem generis morbo promanare, quo hactenus occidentalis Europa periculosè laborauit. Hoc ita velim intelligas. Certum est, omnes Europæ tumultus & intestinas passiones ab hisce 40. & amplius annis per Executionem Concilii Tridentini excitatos esse, & ex eadem ortum traxisse. Si forte bellum Balthicum, quod inter Scandiæ reges ante annos 36. gestum est, & nupertimum Brunswicensium tumultũ excipias.

Executio Concilii Tridentini capitalis scaturigo omniũ turbarum Europæarum.

Hæc

Hæc inquam eſt illa præſentis ſæculi Pandora, ex cuius fatali pyxide omnes Europæorum inteſtinæ calamitates hactenus mihi ſcaturire videntur, ita tamen vt eas non tam ipſa Concilii executio, quàm executionis modus pariat.

Hoc fortè vlterius tibi vis declarari? ſic igitur habeto: Executionis modus in duabus præcipuè rebus hactenus fuit repoſitus. Primum ſedulò annixi ſunt, quibus hæc cura incubuit, vt illos Reges & familias, quorum in Europa hoc ſæculo præcipua eſt autoritas, ſecum inuicem adunirent, & ſic adunitos ad Concilii Tridentini executionem exſtimularent. Et hinc eſt illa famata Catholicorum vnio.

Modus Executionis Tridentinæ.

I.

II.

Deinde vt per certos & qualificatos homines impedimenta, quæ vel in politiis politiarumq; formis & legibus, vel populorum moribus negotio huic obſtarent, quaſi è via remouerentur.

Hac ratione prædicta Concilii Executio fuit inſtituta, quantum nimirum ad generalem conatum attinet. Opus profectò magnum & arduum, quod melioribus mundi temporibus peculiari fortunæ afflatu opus habuiſſet, quodque ipſius Alexandri M. victorioſum genium frangere & defatigare potuerit. Nunc autem pro ratione præſentis Europæ ſtatus infinita conatui huic & longè robuſtiſſima impedimēta extra ordinem fuerunt obiecta. Quibus tamen non obſtantibus, res ab iis, quibus hoc per prædicti Concilii concluſionem mandatum e-

rat, fortiter & ingenti nixu tentata fuit: sed eo hactenus euentu, vt molimina ista turbas quidem longè maximas & valde horribiles vbiq; gentium in vulgus pepererint, ad exitum tamē nusquam perduci potuerint.

Vnio Regum Catholicorum vndiq; fructus.

Regum enim adunitio partim per connubia, partim per confœderationes, pacificationes & similia media tentari cepit & promoueri: in tanta tamen nationum regnorumq; Europæorum discrepantia ferè consecutum est, vt pro ea, quæ sperabatur vnitione, infinitæ autoribus difficultates, subiectis autem populis variæ molestiæ emerserint. Cùm præsertim Reges ipsi, qui se interdum ad prædictam Executionem obtulerunt, negocium illud tam sincerè nunquam tractarent, vt sub eiusdem prætextu non sua priuata commoda quæritarent.

Hispani sub prætextu propagandæ religionis Monarchiā suam amplificare conantur.

Sicuti non ita dudum in Galliis licuit perspicere, quando Philippus Hispanus partium Catholicorum (hunc enim cucullum factio illa induerat) patrocinium & defensionem visus est suscipere: ibi inquam vel tandem apparuit, eum sub hoc obtentu Galliæ regnum affectare. Cum enim animaduerteret, plerosq; factionis illius proceres ab Imperio Hispanico abhorrere, oblitus personæ, quam agendam susceperat, manus auxiliatrices retrahere cepit, vt qui videret, se spe sua frustratum. Id quod Sixtus V. tempestiuè odoratus est, illudque ægerrimè tulit.

Talia autem plura exempla adduci possent

ex iis etiam, quæ nos aliquantò propius tangunt. Ex his ergo personatis & malè fidis Regũ molitionibus in vnionis istius agro perpetuarum simultatum copiosissimam segetem adhuc succrescere videmus, per quas prædictæ Executionis negotium, per se haud facile, turbatur, & Nationes iis, de quibus dictum est, difficultatibus implicantur.

Idem ferè in reliquorum impedimentorum remotione accidit. Cum enim Tridentinæ reformationi non solum diuersus religionis sensus, per vniuersam iam Europã latissimè sparsus, sed etiam Nationum, populorumq; priuilegia, libertates, leges & mores obstarent, illa citra tumultum ne moueri quidem potuerunt. Quæ omnia tamen à præferuidis ingeniis, quibus hæc Prouincia non citra delectum demandata erat, non solum mota, sed acriter commota & vehementer perturbata esse constat. Hinc ergo turbæ, hinc simultates, hinc odia, hinc diffidentia cum reliquis fatalibus Furiis, quibus nostro tempore status politicus infestatur, ceu ex Orco proruperunt. Id quod omnes Europæ nationes, quas hæc pestis peruasit, sonora voce profitentur: hanc & non aliam calamitatum suarũ caussam omnes, qui citra morbi affectionem iudicant, summo consensu allegant.

Tridentinæ reformationis effectus in ipsis regnis.

Videamus nunc ergo num malorum nostrorum Polonicorum eadem ratio sit, & num eidem generali caussæ asscribi queant. Id quod

multis forte difficulter persuadebitur. Ego tamen illud constanter assero, & assertionis meæ has probationes affero.

Certum est, Clerum Poloniæ non minus hactenus laborare, vt Concilii Tridentini decreta intra regnum executioni mandentur, eorundemq; obseruationi omnes subiiciantur, quàm in plerisque hactenus Occidentis partibus laboratum fuit.

Executio Concilii Tridentini, quomodo in Polonia instituta.

Synodus Petricouiensis.

In hunc enim & non alium finem, mox post ingressum modernæ Regiæ Maiestatis in regnũ Synodus illa Petricouiensis celebrata fuit: quam ceu Filiam Poloniæ Medea illa Tridentina peperit. Ex cuius vultu prudentiores iam tum secuturæ in regno administrationis omen capiebant. Cuius etiam Decreta plerisq; vel eo saltem nomine suspecta fuerunt, quod tanto studio occultata fuerunt & suppressa.

Sed nec illud cuiquam dubium esse potest, ab his ipsis primo loco diligenter curatum fuisse, vt reges Poloniæ prædictæ Vnioni implicarent, eosdemq; cum Domo præcipuè Austriaca quàm arctissimè coniungerent. Ex qua nimirum coniunctione, maximum ad prædictæ Executionis promotionem emolumentũ sperabatur: vt quæ ad subditos in vtroq; Regno magis perterrendos & in ordinem redigendos permultum factura videbatur, quantumuis consiliis illis longè aliud pallium obduceretur.

Succia amissa.

Harum verò rerum praxis post infelicem illam expeditionem in speciem quasi renouata fuit,

fuit, vbi nonnullorum ſtudia valde conſpicua extiterunt. Eorum videlicet, quos præter iam dictas cauſſas Sueciæ amiſſæ inuidia vrgebat, qua nempe ordinem ſuum premi ſentiebant. Qui propterea omnem lapidem mouerunt vt nouis Regum amicitiis accepti infortunii ſenſum nonnihil mitigarent.

Veruntamen vt inter vicina regna ferè fieri conſueuit, Auſtriacorum ſtudia noſtratibus ſemper ſuſpecta fuerunt, ideoq; pro hac etiam vice ad Agentium illorum conſilia promouēda tantum non contulerunt, quantum ſperatū fuerat. Cùm præſertim præter vulgares illas Regum regnorumq; vicinorum ſimultates & diſſenſiones, alia non pauca quotidiè intra & extra regnum inciderent, quæ huiuſmodi coniunctionem Reipub. noſtræ minus commodā, ipſis etiam ciuibus formidabilem efficerent. Per eius itaq; attentationem nil amplius effectum fuit, quàm vt inueteratæ ſuſpiciones periculoſiùs recrudeſcerent.

Auſtriacorum ſtudia Polonis ſuſpecta.

Quod ipſum etſi iis, qui hæc agitabant, non ignotum eſſet, ſe tamē adeo non paſſi ſunt impediri, publicamq; indignationem tam ſecurè contempſerunt, vt tantò potiùs confidentiùs in propoſito perrexerint, illudq; tandem per fas & nefas ad exitum conati ſint perducere.

Hic ergo molitionum iam antea ſuſpectarum tam importunus feruor, eum tandem euentum ſortitus eſt, vt offenſa Nobilitate regnum factionibus mutuaq; diffidentia imple-

tum sit, & Rex ipsemet subditis, subditi verò Regi suspecti esse ceperint. Quam nosti proximam & compendiosissimam esse ad Reipub. dismembrationem & interitum viam. Et hac ratione prius illud Executionis Tridentinæ turbatæq; Europæ medium satis inter nos, vt opinor, efficaciter operatum est.

Ad alterum quod attinet, *Popularium* nempe *obstaculorum remotionem*, tu non negabis, opinor, In hoc regno maiora & robustiora ei obiecta fuisse & adhuc obiici, quàm in vlla Europæa Natione. Concilium enim Tridentinũ inter nos, vt quidem nunc res sunt, ad effectum, quem ipsi cupiunt, perduci nullo modo potest, nisi aut Hispanica Inquisitio, aut quiddam quod Inquisitioni illi æquiualeat, in regnum introducatur. Per quod nempe Polonia ad Hispanismi aliquam similaritatem redacta, prædictæ Executioni opportuna reddatur. Patria verò nostra ea corporum animorumq; libertate hactenus vtitur, qualem fortissimæ nationes & generosissimus quisq; sibi optare poterit. Quis ergo non videt, quàm duro collisu hæc inter se committi oportuerit? Postquam inprimis libertas illa, quatenus animum præcipuè & conscientias concernit, non ita dudũ per *Confœderationem publicam* denuo & quasi extra ordinem confirmata est?

Tridẽtini Concilii executio contra libertatis Polonicæ præiudicium perfici nequit.

Confœderatio publica Executioni istius obex.

Quamuis autem Hispanicam Inquisitionẽ nemo nobis hactenus apertè & ex professo conatus sit obtrudere, quòd intelligerent, hoc

citra

citra periculum vix poſſe tentari: via tamen ad huiuſmodi aliquam imperioſam coërcitionem variis artibus paulatim & quaſi per cuniculos parata eſt, ſenſimq́; muniri cœpit. Eo nimirum adhibito artificio, quo rem citra omnem mutationis ſenſum Practicantes illi ſe conſecuturos ſperabant. Tam cautè tamen & circumſpectè incedere non potuerunt, quodq́; agebant, tam probè nunquam potuit diſſimulari; vt rerum è diametro pugnantium tamq́; aſperarum vel leuis agitatio, non ingentem flammam vel tandem eliceret. De quo ipſo, proh dolor, oculorum aſpectus hodie teſtatur.

Hæc à me omnia veriſſimè dici ipſemet optimè noſti, & fatebuntur hoc illi, qui rerum noſtratium aliquam ſaltem notitiam habent, quiq́; actiones noſtras Comitiales ab aliquot annis vel è longè ſpectarũt. Nec diffitẽtur hoc ii, qui in partibus adhuc inter nos eatenus hærent, vt & Concilium Tridentinum amplectantur, eiuſq́; ſtudioſæ, per legitima tamen media, executioni faueant.

Adhuc ergo perſpicuum eſt, Reip. noſtræ mala non ſolùm ex iiſdem cauſſis, quibus reliquorum Europæorum regnorum tumultus, ſed etiam ex eodem operationis illorũ modo proficiſci.

In his igitur tollendis & amouendis opera noſtra occupari debet, ſiquidem ordine procedere, Matriq; noſtræ cum aliqua ſpe ſalutis opem ferre voluerimus.

Scio tamē quid tu heic dicere poſſis & haud dubiè dicturus ſis, Me videlicet hæc diſſerendo, Morbum ferè incurabilem oſtendere, cùm harum rerum ſtudiò, Concilii præſertim effectuoſæ Executioni potiſſima pars Regni implicata ſit, vt curatio ipſo morbò difficilior, adde & periculoſior futura videatur.

Non eſt de nihilo quod dicis, noui que egomet multos prudentes viros in eo tibi conſentire. Exiſtimo tamen omnia opinione tua faciliora fore, ſi primùm inter res ipſas earundemque abuſum, deinde inter perſonas, à quibus illæ tractantur, accuratè diſtinguatur.

NB

Auſtriacæ familiæ affinitas Polonia per ſe nec inutilis nec inhoneſta.

Ad res quod attinet, nec Auſtriacæ Familiæ, inter Europæas haud dubiè eminentiſſimæ, nec quorumcunq; exterorum Regum & Principum cum noſtris Regibus legitima & ſincera coniunctio per ſe vel Nos vel Rempub. noſtrã in minimo lædit: ſed eidem potius præſidio & ornamento futura eſſet, ſi à Practicantibus illis ad ſiniſtras ſuſpiciones non tam denſæ noſtratibus occaſiones præberentur.

NB.

Eadem ferè ratio eſt Concilii Tridentini. Ab huius enim executione nihil turbarum nobis eſſet metuendum, ſi modò ita inſtitueretur, vt intra legitimum docendi modũ conſiſteret, miſſisq; aliis parum conuenientibus practicis, euentus Deo committeretur. Non igitur res iſtæ per ſe, ſed earum abuſus & peruerſus tractationis modus Rempub. lædunt, & has in præſentia difficultates nobis pariunt.

Hæc

Hæc itaq; in rebus diffidentia si obseruetur, inter ipsas etiam personas manifestam nobis discriminis rationem ostendet: Vt nempe non omnes eos, qui prædictis rebus manum quocunq; modo admouent, pro veris calamitatis nostræ autoribus habeamus, vt curationis, de qua dicturus sum, actum ad omnes & singulos extendi oporteat: sed eos tantùm qui prædicti abusus præcipuam culpam sustinent. NB.

Si quæris, Quinam illi sint? Respondeo, si eorum, quos in hisce rebus periculosa experientia longo tempore erudiit, consentiens testimonium admitteret: si præterea ipsam rerum euidentem inter nos experientiam in consiliũ adhibere volumus, IESVITAS & INSTITVTVM IESVITICVM pro iis nobis necessariò esse habendos. Hi inquam, sicut in supradictorum consiliorum executoriali praxi primas sibi vbiq; arrogant: ita alteram eius, & quidem odiosissimam & nostrarum inprimis rerum respectu perniciosissimam partem extra ordinem sibi suæq; actualitati desumpserunt. In qua agitanda ita hactenus versantur, vt quod in hisce consiliis pessimum est, præcipuè arripiant, arreptum peius efficiant, & vim eius malitiosissimam per subiectum Reipub. corpus, quo iure quave iniuria quasi transadigere, & per partes applicare conentur. Vt sic prorsus sentiam, si vni Iesuitæ non essent, Nos aut turbas huiusmodi nullas habituros, aut si quæ fortè, vt ex consensu reliquarum partium Europæa-

NB. NB. cum 1.

Iesuitarum conatus & feruor omnium intra Regnum excessuum præcipua caussa.

rum, obortæ fuiſſent, eas multò facilius minoriq́; periculo conſopiri potuiſſe.

Hoc verò cùm illud ipſum ſit, de quo inter nos quàm maximè controuertitur, iudicii huius rationes tibi aliquanto accuratius erunt demonſtrandæ. Quod ita faciam, vt tibi primum ad oculum demonſtrem: Inſtituti Ieſuitici, ſi per ſe conſideretur, eam eſſe rationem,

Conſilii huius præcipua demõſtrationis capita.

1. vt liberæ Reipub. valdè inimicũ & aduerſum, Libertati verò Polonicæ inprimis formidandum ſit.
2. Deinde viuis aliquot exemplis oſtendam, quàm periculosè ſecta hæc ſtatum Politicum hinc inde per Europam turbarit.
3. Tertiò, obiectiones nonnullas diluam, quæ ſententiæ huic à contrarium ſentientibus ferè opponuntur.
4. Quæ tria ſi à me demonſtrata fuerint, quartum quod principaliter intendo, ſua ſponte ſequetur: Iis nempe qui Rempub. reſtitutam & ſaluam cupiunt, præcipuè operam dandam eſſe, *Ut Ieſuitæ & Ieſuitiſmus extra regnum eliminentur*, quo ſic remotis hiſce curationis interturbatoribus certa aliqua & firma pacis ſtabiliendæ ratio iniri queat.

Ad primum quod attinet, in eo tria conſidero: *Ipſam Ordinis politiam*: *Finem ad quem tendit*: *Operationes ſiue praxin, per quæ hunc finem conatur aſſequi.*

Inſtituti Ieſuitici politia.

Politiam ſi penitius introſpiciemus, fatendũ nobis erit, eam in hoc genere accuratè diſpoſitam, firmiſſimam & ad res magnas gerendas aptiſſi-

aptissimam esse: vt parti cui se applicauerit, permultum prodesse queat. Generalis dispositio purè Monarchica est, forma nimirum politiæ, ad mouendum & agendum commodissima. Monarchicæ dispositionis nerui in hisce rebus consistunt: Capite primùm vno regitur, deinde hoc ipsum caput vni etiam loco, vrbi nimirum Romæ alligatum est, vbi perpetuò residere cogitur. Quæ res sectæ huic inter alia hoc præstat, vt vno certo & vniformi aëre perpetuò regatur, & vegetetur, Romani nempe consistorii afflatu, prout nempè is ab iis, qui Romæ omnia possunt, afficitur. Disciplinæ deniq; forma Institutum hoc longè arctissima vtitur, qua ciues eius ad cæcam obœdientiam (sic ipsimet loqui consueuerunt) astringuntur, in tantum, vt minoribus in nulla Maiorum vel absurdissima imperia inquirere liceat: nedum vt aliquis ea detrectare ausit. Quæ obedientia in Orbem Europæum hactenus optimos & planè desperatæ audaciæ sicarios progenuit: ideoque Ordo iste à nonnullis cum Assassinorum instituto comparatur, quod in Asia olim à Saracenis contra Christianos fuit introductum. Disciplina certa.

Hæc ergo formam illam Monarchicam cõstituunt, constitutam firmissimè constringunt, adeoq; faciunt vt actiones eius efficacissimæ sint, & ceu cuneus quidam penetrent.

Illa verò hanc compactionis soliditatem adiuuant, eandemq; solidiorẽ efficiunt: Quod

a. Basis Instituti Iesuitici. primum communitatis huius basis per fixam illam Generalis sedem Romanæ sedi & consistorio, vt dictum est, quasi affigitur & implantatur. *a.* Deinde quòd eandem Hispanico Imperio similiter inserunt, dum inter septem Generales, qui sibi huc vsq; , si rectè memini, inuicẽ successerunt, neminem elegerunt, qui non vel natione, vel ditione Hispanus esset, quæ res non caret mysterio. *b.* Tertiò quòd ex tot diuersis Clericorum ordinibus soli ferè Iesuitæ ab vtriusque Fori ordinaria iurisdictione exempti sunt: vt nullum prorsus in Nationibus nisi sui corporis Superiorem agnoscant, qui plerunq; Italus aut Hispanus est. Vt sic Ordo Iesuiticus ab omni iuris coercitione solutus inter nos liberrimè versetur, suisq; molitionibus securè incumbat. *c.* Quartò quòd etiam in subdelegatis Imperiis hactenus diligenter cauent, ne in Nationibus Prouinciales vnquam ex indigenis eligant, sed vel Hispanis vel Italis dignitates illas conferunt, aut saltem iis qui ex Anglia, Gallia &c. propter facinora aliqua profugerũt, & propter nimium Hispaniæ studium ex prædictis Nationibus proscripti sunt. *5. Nobilitas Teutonica ad cæcã Iesuitarũ obedientiam parũ idonea.* Seniores verò, Rectores & his similes inter nos rarissimè ex Nobilium Ordine, sed ex plebe tantùm adoptant. Quod cur fiat, coniectura non est difficilis. Generosa nempe nobilitatis pectora erga Patriam ita affecta norunt, vt suis consiliis & practicis ea minus commoda & opportuna statuant. *Polonia Iesuitismum nutrit.* Interim his rebus fit, vt cùm Iesuitismi

venter

venter nostras ferè sit, quem videlicet nostris opibus explere & suffarcire cogimur: caput tamen Hispanico & Italico cerebro repletum habeat, ad cuius nempe sensum reliquum corpus mouetur. *Hispania & Italia eodem vtuntur.*

Hæ igitur ad Monarchicum robur iterum perquam multum faciunt, incursus Iesuitici impetum certissimè dirigunt, & sectæ huic ad consiliorum suorum executionem inuictam planè & penetrantem constantiam præbent.

Porro huic ipsi Imperii Iesuitici formæ per subordinatarum dignitatum distinctos gradus variasq; species egregiè contra omnes Monarchiæ incommoditates & vitia prospectum est: vt si ex humano sensu iudicetur, ei neq; à tyrãnica oppressione, nec seditiosa dissolutione vllum periculum sit extimescendũ. Quod ipsum etiam prædictæ Sodalitati ad res gerendas miram corporis agilitatem conciliat.

Quarum rerum omnium illustre documentum nobis historia postremi motus Galliæ præbet, vbi compertum est: In illa desperata totius Regni perturbatione, ex solo Iesuitarum Ordine neminem, ac ne vnum quidem Iesuiticum Indiuiduum fuisse, qui Reipub. partes secutus esset: cùm contra ex omnibus aliis Clericorum ordinibus permulti Regias Reiq; publicæ partes fideliter tuerentur. Hispano autem hi ipsi Iesuitæ tàm pertinaciter adhæserunt, itaq; feruidè studuerunt, vt factioni eius pro anima aut potius pro corde fuerint: de NB.

Iesuitismus cor Factionis Hispanicæ in Gallia. quo vulgò dicunt, quod in corporis humani structura sit primum viuens & vltimum moriens. Prædicta sanè factio priùs opprimi non potuit aut eradicari, quàm Iesuitæ regno exigerentur. Quod fidele & perdurans robur Instituto huic in tam variegata hominum colluuie nil aliud præstat, quàm ea quæ hactenus de Politiæ forma diximus.

Num verò hæc talia sint, à quibus sibi Resp. Polona metuere debeat, tibi cogitandum relinquo. Ego interim Factionem Iesuiticam inter nos non aliter æstimo, quàm agilem quendam & acutum gladium, cuius lamina quidem in vaginam Polonicam recondita sit, sed ita, vt *NB.* capulum Romana Aula & Hispanus manibus teneant, & sic eum ad nutum suum vibrent. Id quod Instituti huius proprius finis aliquando clarius docebit.

Finis Instituti Iesuitici. *Hic autem* & ipse quiddam singulare & ab omnibus aliis Monachorum ordinibus diuersum habet. Omnes enim aliorum Religiosorũ Ordines in hunc finem vt plurimum inuenti & approbati sunt, & eò tendunt, vt popularis deuotio per eos augeatur, Religio Romano-Catholica magis splendeat, & Ordinis spiritualium pomœria dilatentur, &c.

Iesuitæ verò etsi hisce rebus & ipsi pro virili studeant, sui tamen principalis finis longè sublimiorem scopum sibi præfixum habent. Qui nempe est, Vt Romanæ Ecclesiæ siue Imperii Ecclesiastici collapsam autoritatem, non solùm

recu-

recuperent, in quo studio reliquos clericos commilitones habẽt; sed vt subiectum præcipuè Europæ Orbem ita corrigant & reformẽt, vt huiusmodi insultus, quos res Romana hactenus est perpessa, in longum præcaueant: sublatis & quasi obstructis omnibus occasionibus, per quas antehac Hæreticis ad eandem oppugnandam aditus præbitus fuit.

Quas occasiones norunt non aliunde densius emersisse, quàm ex subditorum in hisce Septentrionalibus regnis, nimia, vt quidẽ Romæ semper visa est, libertate, illisq; barbaris legibus, quibus hactenus ita firmatur, vt Inquisitionis Hispanicæ intentatum iugum constanter repellat. *Molitionum Iesuiticarum in hisce regionibus præcipua impedimenta.*

Horum igitur remotio & annihilatio Iesuitis per quartum illud & sectæ huic proprium votum extra ordinem iniuncta est. In hunc finem tot extraordinariis priuilegiis, bullis & Indultis instructi & muniti sunt, vt non solùm agendi facultate reliquo clero vniuerso præpolleant: sed iam ipsis Episcopis & superiorũ Prælatorum ordini graues & formidabiles esse incipiant. Nec ego dubito quin gens Iesuitica aliquando Romanæ Ecclesiæ horrendi schismatis occasionem præbitura sit. Interea in his ipsis rebus specifica differentia consistit Iesuitismi, per quam à reliquo clero discernitur, eiusdemq; genus quasi transcendit. *Iesuitismi specificus character.*

Cùm verò hoc ipsi constanter negare consueuerint, viuo illud exemplo tibi demon-

ſtrandum eſt. Inter Venetos & Pontificem hoc maximè tempore controuerſia intercedit ſuper quadam Ducatus Ferrarienſis particula, quam Veneti, vt audio, ante annos 130. aperto bello ſibi acquiſiuerunt: itemq; ſuper conſtitutionibus quibuſdam, quarum renouandarum occaſionem Magiſtratui Veneto præbuerunt Ieſuitarum artes teſtamentariæ. Pontifex autem eas in fraudem Eccleſiæ factas conqueritur.

Venetorum cũ Pontifice controuerſia.

Veneti hoc nomine à Pontifice compellati, iure ſuo cedere nolunt, ſed palàm præ ſe ferũt, ſibi in ſua ditione ſupremam iuriſdictionem, & ſic etiam legum ferendarum poteſtatem, nó autem Pontifici competere &c. Quo animaduerſo Pontifex Excommunicationis fulmine eos territat. Senatus hoc cognito Clerum ſuum conuocat, ius Reipub. eidem exponit, Pontificiæq; Excommunicationis iniquitatem demonſtrat, eos deniq; pro autoritate hortatur, vt curato officio, Excommunicationem pro nulla habeant,&c. Quid fit? Antiquus Clerus vnanimi conſenſu Reipub. cauſſam contra Pontificem probat,& de fide ſua prolixè pollicetur: Recentiores verò Religioſi, quorum nempe regulæ præſentis temporibus conditioni accommodatæ ſunt, Ducibus Ieſuitis Reipub. cauſſam damnant, ſtationemq; ſuam deſerunt. Quamuis Ieſuitæ Magiſtratus edicto, nominatim expulſi,& in æternum relegati perhibeantur.

Hoc

Hoc autem Iesuitæ non aliam ob caussam fecerunt, quàm quòd viderent, se stante & defensa Reipub. Venetæ libertate stantibusq; legibus nec stare nec instituti sui finem obtinere posse. Quod ipsum sanè discrimen illud, quod inter Iesuitas & quoscunq; alios Clericos constituimus, satis euidenter probat & confirmat. Tu ergo nunc, mi Frater, cogita, quid de Polonia nostra futurum sit, si inter nos omnia illa remoueri debeant, vt profectò illa remota cupiunt, per quæ in finis istius adeptione impediuntur? Adhuc de Fine.

Videamus nunc Media siue praxin, per quā ad scopum illum perrumpere conantur, & hæc ex iis, quæ iam dicta sunt, facilè intelliguntur. Hoc nimirum coniuncta opera feruidissimè agunt, vt primum Reges Europæos, quotquot possunt, vni cuidam Fœderi illigent: cuius Fœderis principem & directorem constituunt Hispaniarū regem, Aurei istius velleris possessorem & custodem. Ad cuius videlicet nutum reliqui se applicare cogantur, sub hac conditione, vt qui conatibus eius quacunque ratione intercedit aut quàm minimum aduersatur, de hæresi suspectus sit, & prædicti velleris periscelide indignus cēseatur. Sed regnorum Septentrionalium ea ferè est ratio, vt ad Legum præscriptum, non autem ad absolutum Regū arbitrium regantur. Ideoq; regiarum Personarum confœderatio parum illis prodesse poterit, nisi etiam subiecta regibus regna in eandem *Praxis Iesuitica.*

ſtrandum eſt. Inter Venetos & Pontificem hoc maximè tempore controuerſia intercedit ſuper quadam Ducatus Ferrarienſis particula, quam Veneti, vt audio, ante annos 130. aperto bello ſibi acquiſiuerunt: itemq́; ſuper conſtitutionibus quibuſdam, quarum renouandarum occaſionem Magiſtratui Veneto præbuerunt Ieſuitarum artes teſtamentariæ. Pontifex autem eas in fraudem Eccleſiæ factas conqueritur.

Venetorum cũ Pontifice controuerſia.

Veneti hoc nomine à Pontifice compellati, iure ſuo cedere nolunt, ſed palàm præ ſe ferũt, ſibi in ſua ditione ſupremam iuriſdictionem, & ſic etiam legum ferendarum poteſtatem, nõ autem Pontifici competere &c. Quo animaduerſo Pontifex Excommunicationis fulmine eos territat. Senatus hoc cognito Clerum ſuum conuocat, ius Reipub. eidem exponit, Pontificiæq́; Excommunicationis iniquitatem demonſtrat, eos deniq; pro autoritate hortatur, vt curato officio, Excommunicationem pro nulla habeant,&c. Quid fit? Antiquus Clerus vnanimi conſenſu Reipub. cauſſam contra Pontificem probat,& de fide ſua prolixè pollicetur: Recentiores verò Religioſi, quorum nempe regulæ præſentis temporibus conditioni accommodatæ ſunt, Ducibus Ieſuitis Reipub. cauſſam damnant, ſtationemq́; ſuam deſerunt. Quamuis Ieſuitæ Magiſtratus edicto, nominatim expulſi,& in æternum relegati perhibeantur.

Hoc

Hoc autem Iesuitæ non aliam ob caussam fecerunt, quàm quòd viderent, se stante & defensa Reipub. Venetæ libertate stantibusq; legibus nec stare nec instituti sui finem obtinere posse. Quod ipsum sanè discrimen illud, quod inter Iesuitas & quoscunq; alios Clericos constituimus, satis euidenter probat & confirmat. Tu ergo nunc, mi Frater, cogita, quid de Polonia nostra futurum sit, si inter nos omnia illa remoueri debeant, vt profectò illa remota cupiunt, per quæ in finis istius adeptione impediuntur? Adhuc de Fine.

Videamus nunc Media siue praxin, per quã ad scopum illum perrumpere conantur, & hæc ex iis, quæ iam dicta sunt, facilè intelliguntur. Hoc nimirum coniuncta opera feruidissimè agunt, vt primum Reges Europæos, quotquot possunt, vni cuidam Fœderi illigent: cuius Fœderis principem & directorem constituunt Hispaniarũ regem, Aurei istius velleris possessorem & custodem. Ad cuius videlicet nutum reliqui se applicare cogantur, sub hac conditione, vt qui conatibus eius quacunque ratione intercedit aut quàm minimum aduersatur, de hæresi suspectus sit, & prædicti velleris periscelide indignus cẽseatur. Sed regnorum Septentrionalium ea ferè est ratio, vt ad Legum præscriptum, non autem ad absolutum Regũ arbitrium regantur. Ideoq; regiarum Personarum confœderatio parum illis prodesse poterit, nisi etiam subiecta regibus regna in eandem

Praxis Iesuitica.

Vnionis nassam concludant. Atqui hoc opus, hic labor est: cùm heic eis infinitæ, vt iam dictum est, difficultates obiiciantur, quocirca etiam opera illorum heic præcipuè enitet & omnium maximè conspicua est. Sic autem res suas hoc loco disponunt:

Accipiter Iesuiticus non nisi in Aularũ pinnis nidificat.

Primum omnium hoc sedulò curant, vt in Aulis se insinuent. Hunc enim nidum hoc genus accipitrum sibi vbiq; præstruere inq; eodẽ oua sua deponere solet, priusquam ad venatum euolent. Iesuita etiam ibi peregrinis sibi & exul, immò capite diminutus videretur, vbi ab Aula arceretur. Fixo heic pede, vlterius operam dant, vt clauum Reipub. in suam potestatem redigant, id est, vt vel Regi Reginæve ex suo corpore Confessarium, vel saltem Hæredi regio Præceptorem dent. Aut si hac non semper succedit, illis dominentur, quorum in Reipub. administratione præcipuæ partes sunt & vires. Vtq; horum affectus, cupiditates & designationes penitissimè cognita & perspecta habeant: qua videlicet esca vnusquisq; alliciendus & captandus sit. Ad hoc autem feliciùs perficiendum Romana Aula, quicquid autoritate, quicquid opibus, quicquid artibus & consilio valet & potest, Genti huic liberalissimè, vt iam dictum est, indulget. Adeò vt Iesuitarũ commendationes Romæ ad consequendas dignitates & præbẽdas plus valeant, quàm potentissimorum Regum intercessiones.

Quæ vnica res, si cetera abessent, ad cor-

impendas omnes, OMNES dico, Europæ aulas, abundè sufficeret, sicut euentus proh dolor testatur. Quamuis hoc etiam tibi aduertendum est, Genio Iesuitico extra hoc quandam à natura occultam vim inesse, qua Ingeniis aulicis imperat & dominatur.

Vt autem de occultioribus Gentis huius artibus, quas in prædictis politiarum officinis exercent, nil dicam: duo sibi ibidem potissimũ paciscuntur, Primùm vt ipsorum mellificatio ex hac Reipub. Arce non impediatur, Vtq; deinceps aduersariis suis nullum eò refugium pateat, illorumque querelæ, si quas eò deferent, vel prorsus negligantur, vel quoquo modo eludantur. De his duobus quamprimum Iesuitæ cautum est, ipse deinceps sibi ad reliqua perficienda sufficit. *Iesuitarum in Aulu postulata.*

Constructo & firmato hoc nido, pabulatores suos quaqua versum emittunt, suamq; venationem hac ferè ratione instituunt: Primum operam dant, vt in primariis Regni aut Prouinciæ Vrbibus Seminaria, collegia, templa quàm plurima, tanquam instantis messis suæ horrea, exstruant. Per hæc autem duo consequuntur, quæ eis ad finem suum, de quo diximus, valde proficua existunt: Regnum primum vniuersum his ceu vnguibus apprehendunt, & ita constringunt, vt ad suum nutum illud, quoties res ita postulat, cum singulis partibus circumagere queant. Quod vt facilius *9. Iesuitarũ venatus.*

NB. consequantur seminaria sua in prædictis vrbibus, ita plerunq; construunt, vt suis ædificiis ipsa vrbium mœnia complectantur, eademq; sibi noctu diuq; peruia faciant. Vt in arcibus, quas Cracouiæ, Vilnæ, Calissii, Posnaniæ &c. habent, videre licet.

Polonorum in fouendis Iesuitis præcipuum peccatum.

Nec ego Gentis nostræ supinam negligentiam & incuriam satis heic admirari, aut pro rei indignitate sufficienter detestari possum: Quòd ad huiusmodi periculosas & Reipub. præiudiciales substructiones non solùm conniuimus: sed ad easdem materiem ceu propriis manibus congessimus. Cùm sic existimem, si Rex aliquis tale quid machinaretur, vniuersam Remp. contra eum insurrecturam. Et his exterorum Venatorum indagatoribus in nostris nemoribus tantùm licet?

Deinde eadem opera Iuuentutem nostram, spem posteritatis, ad suum cerebrum, dispositis & recoctis animis, regignunt, & sic inter nos Noui & Iesuitici Mundi sementem faciunt. Dum autem intra Regni vrbes hoc ii agũt, qui ad hæc donis idoneis sunt instructi, reliqui concionibus popularibus & audiendarum cõfessionum operosissimo simul & quæstuosissimo artificio pro virili student. Quarum artium effectus iterum duplex est: Plebem enim primariam, vt ille loquitur, hac ratione paulatim suam faciunt, factioniq; vires adiiciunt. Prouisoribus deinceps qui Cameræ siue Ærario præsunt, viam vbique muniunt, vt in omnia publi-

publica & priuata bona aditus eis patefiat.

Et heic mihi latissima sermonis valua se aperiret, si aucupia illorum, quibus illi homines, Mulierculas præsertim, circumueniunt, explicare vellem. Cùm verò instituti & occupationum mearum ratio mihi habenda sit: illud saltem præterire nolo, in quo etiam sectæ huius à reliquis Religiosorum ordinibus differentia aliqua perspicitur. Quòd nempè Iesuitæ vulgaria illa munuscula, quæ vulgo in Religiosos erogari consueuerunt, non curant, nec ea capiunt: quòd hoc eis sordidum & reliquo Ordinis splendori minus conueniens videatur. Aquila enim currucam non captat. Et ipsi aliâs, vt exercitati Practici, benè norunt, *Pecuniam in loco negligere maximum interdum lucrum esse.* Noui q; egomet simulationem hanc aliquando eò vsq; processisse, vt oblatum 50. aureorũ Vngaricorum precium repudiarint. *Iesuitæ sagaces aucupes.* *Propter passerem rete non attralunt.*

Hominum verò opulentorum testamentaria legata, & cum his integra prædia adeò non fastidiunt, vt eo potius fraudum exquisitissimarum artificio illa aucupentur, vt Polonia, in hac etiam publica morum corruptione, vix quicquam simile experta sit. Hinc ergò istis pecuniæ neglectoribus, qui suam gratuitam operam nobis tam officiosè deferunt, illi regales inter nos Prouentus, quos cum reliquis suis arcanis in Maiore Polonia Calissii, in Minore Cracouiæ, in Russia Lublini, Vilnæ in Lithuania, Poltouii in Masouia, & Braunsber- *Iesuitarum æraria.*

gæ in Borussia deponere & custodire dicuntur: Hæc inquam imperii Iesuitici inter nos æraria publica sunt & Chartophylacia, quæ si hoc tépore excuti deberent, Poloniam hauddubiè de status sui qualitate rectius instructura esset, quàm tot hactenus tumultuosa scrutinia præstare potuerunt. Et hæc de Praxi Iesuitica.

Hæc itaq; de primo designationis meæ capite, de politia nimirum Instituti Iesuitici pro tua instructione sufficiant. Tuum nunc erit cogitare, num is fallatur, qui Iesuitas Polonis; Reique eorum publicæ vehementer formidãdos & sedulò cauendos censet. De narrationis autem meæ veritate noui tibi melius, quàm mihi ipsi constare.

Praxis Iesuitica Ordini præcipuè Politico fatalis.

Superest nunc, vt quæ in genere de Gentis natura & moribus proposita sunt, per particularia exempla comprobentur, adeoq; demonstretur, quàm periculosa harum rerum praxis Ordini Politico fuerit, quod secundum erat propositionis meæ caput. Hoc ipsum verò per domestica & nostræ experientiæ documenta satis copiosè explicari posset & demonstrari: spero tamen in exterorum historia rem magis conspicuam fore, quòd illorum casus extra factionum affectus positi, & sic ad instruendum aptiores sint: Ideoq; exemplis immorabor.

Virtutis Iesuiticæ illustre specimẽ in Gallia.

Inter plurima verò documenta, vix quicquam illustrius est eo, quod historia vltimi tumultus Galliæ suppeditat: ex quo nempe perspicitur, quantum Iesuitismi genius contra statum

tum regium ad eiusq; euersionem possit. Res sic habet: Regni Galliæ ea est conditio, vt à prudentiæ politicæ studiosis ferè pro optimæ politiæ norma allegetur. Et quamuis in eo nobis cùm ipsis non per omnia conueniat, certum tamen est, eam firmissimam esse: siquidem ad absolutæ Monarchiæ formam quàm proximè accedit: Contra tyrannidem tamen & seditionem iis legibus, ea Parlamentorum autoritate, illa demum sanguinis regii reuerentia corroboratum & firmatum est, vt his solis rebus hactenus inuictum perstiterit.

Et quantum ad sanguinis regii obseruantiã attinet, Galli vulgò aliquid præ reliquis Nationibus in hoc affectu putantur habere. Illorum sanè regia familia vetustior est, quàm vlla Europæa. Contra hanc tamen firmissimam, vt Henrico III. hauddubiè videbatur, Arcẽ, Iesuiticæ impressionis cuneus tantum valuit, vt quod in Galliis hactenus inauditum erat, Rege in ordinem redacto, Familiæ regiæ autoritatem ita penitus prostrauerint, vt & Personam regiam neci dediderint, & infensissimæ Gallis nationi ad inuadendum regnum viam longè lateq; cõplanauerint. Et nisi peculiaris & pænè miraculosa Dei prouidentia conatibus eorum tam euidenter obstitisset, rem eò deducturi videbantur, vt Galli prodita regia familia, quæ inter eos per annos plusquam 600. tam altas radices egit, vt omnes ferè principes familias complexa sit, Gallici nominis perpetuum ho- NB.

ſtem & æmulum ſibi Regem aſſciuiſſent. Idq; ſanè multo maiori miraculo, quàm ſi nobis antehac Demetrium ſuum Moſcouiticum obtruſiſſent.

Heic autem vt magis perſpicuum fiat, quomodo inſtituti iſtius Genius erga ſtatũ Politicum ſit affectus, ex tot illorum molitionibus, quibus Henricum illum ſubuerterunt, vnum ſaltem, ſed valdè inſignè illorum ſtrategema heic producam, cuius hæc eſt ratio:

Quæſtiones in Galliis à Ieſuitis motæ deciſa

Sub initium prædicti tumultus, quæſtio illa in Galliis agitari cœpit, *Num pontifex R. Galliæ populum à fidelitatis iuramento, quo Regi ſuo obligatur, in caſu hæreſeos abſoluere poſſit?* Ex hac oriebatur altera huic admodum affinis: *Num cuilibet priuato liceat Tyrannum propria autoritate occidere?* Intelligis, opinor, quantum Regis ſtatusq; regii & vniuerſæ Reipub. in horum problematum deciſione interſit. Et quid putas Apoſtolos dicturos fuiſſe, quando Hieroſolymis primum Concilium ſub præſidio Spiritus ſancti celebrabant, ſi Religioſus aliquis cum huiuſmodi quæſtione coram eis apparuiſſet? Neq; tamen in Galliis controuerſiæ iſtæ nouæ erant. Ad priorem enim ventilandam Pontificum olim cum Galliæ regibus perpetua litigia perennem materiam ſuppeditauerant.

Poſterior verò ante annos plus minus 200. poſt cædem nẽpè Ludouici Aureliani, in Sorboniſtarum collegio publicè agitata, & ſolenniter deciſa erat. Vtraq; ſemper conſtantiſſimè fuit

fuit negata, adeò vt posterioris assertio & assertor Iohannes Pratus, ni fallor, in Concilio etiam Constantiensi ex æquo damnati fuerint. *Iohannes Pratus.*

Pro hac autem vice eædem quæstiones Galliam ad eum modum immutatam inuenerunt, vt bona pars Cleri & cum his totus Iesuitarum ordo vtriusq; assertionem probauerint, reuocata & annihilata Maiorum suorum perpetua sententia: non aliter quàm si nouus interea Mundus successisset.

Huius verò immutationis Iesuitas præcipuos autores extitisse, ipsa Sorbona post res sedatas publicè professa est. Et Iesuitæ idem non obscurè agnoscunt, dum inter caussas, propter quas olim Pontificia excommunicatio contra Galliæ reges minus efficax fuerit, hanc nominatim exprimunt, *Quòd Gallorum animi tum non sufficienter dispositi fuerint.* Hoc est, quòd tam acres seditionum concitatores non habebant, quales hodie Iesuitici concionatores sunt & Confessarii. *Iesuitarum in disponendis animis peculiare artificium.*

Hæc igitur Iesuitarum decisio (non tamen absq; Deo) Henrico necem attulit, & contrà Parricidam absoluit, eumq; Ehudo isti Israelitarum liberatori æquiparauit. Quale nihil in vlla Christiani Orbis parte, inde à religionis incunabulis auditum, scriptumve est aut lectum.

Vbi tu tamen, vt rei indignitatem melius perspicias, notare debes, Sectam hanc Tyranni, eius nempè, quem ab vnoquoque priuato

impunè occidi poſſe contendunt, definitionem ſibi ſuæq; diſcretioni reſeruaſſe. Secūdū quam is nobis pro huiuſmodi mactationis pecude habendus eſt, qui quacunq; ratione in Romani Pontificis indignationem incidit, & ex Ieſuitarum ſenſu excommunicatur. Id quod ideò heic addendum fuit, quòd in alterius quæſtionis formatione ab ipſis inſidiosè additur, *In caſu hæreſeos*, vt hoc nempe fuco perfidiam ſuā in ſupremum Magiſtratum incruſtent. Cùm conſtet Hæreticos illis eſſe, non qui prauas in religione opiniones ſectantur: ſed qui Ieſuitarum artes quocunq; modo impediunt, aut ipſis non per omnia obſequuntur.

Tyrannus quis ſecundū Ieſuitas.

Ieſuiticæ definitionis Hæreticus.

Sicut vel ex Venetorum exemplo intelligere poſſumus, quos hæc ſecta per vniuerſam Italiam pro peſtilentiſſimis Hæreticis proclamare dicitur, ideò ſaltem, quòd latis, ſeu potius, renouatis legibus, Ieſuitarum cupiditati frenum iniecerunt, & quòd fortè etiam (de quo mihi conſtat) Inquiſitoriæ poteſtatis libidinē intra nimis arctos carceres concluſerunt.

De Henrico verò certum eſt, eum, dum vixit, nullius vſpiam erroris ab vllo Catholicorū inſimulatum eſſe. Conſtat etiam eum in Catholico-Romana communione vſq; ad extremum perſtitiſſe. Furoris autem, quo eum perſecuti ſunt, hæc vera cauſſa fuit: *Quòd ſceptrum regium non ei tradere volebat, quem ſibi hi Socii, tanquam idoneum molitionum ſuarum adminiſtrum, Galliæ Regem deſtinauerant.*

Henrici 3. hæreſis.

Tu

Tu ergo nunc iterum vide, Annon per hoc Iesuitarum decretum omnium Europæorum Regum & quorumcunq; Magistratuum Politicorum mors & vita ab arbitrii Iesuitici horoscopo suspendatur? Vt si hic illis dextrè ascendat, ipsi viuant & valeant, sin minus, pereant? Qua de re prædicta Venetorum calamitas, Regis Britanniæ perpetua pericula, & illorum omnium metus, qui hunc Ordinem sibi infestũ sentiunt, abundè testantur. Venetorum tamen exemplum præcipuè conspicuum est, quòd Respub. illa, vt dixi, Romano-Catholicam religionem hactenus, tanquam Imperii sui Palladium, accuratè obseruet & acerrimè tueatur. *Magistratuũ pericula.*

Quæ exempla quoties expendo, toties exhorresco, cùm videam quàm facilè sub præsenti rerum statu inter nos simile quiddam in alterutram partem accidere possit, postquam inprimis Gentis Iesuiticæ ad hujusmodi aliquem effectum tam pertinaces & feruidi conatus ab aliquot iam annis inter nos deprehenduntur.

Sed heic fortassis dicere voles, Inter nos nihil ab hac parte esse periculi, quòd Iesuitis cum Rege nostro probè conueniat, &c. Mallem te dicere posse, Regi nostro cum Regni ordinibus & his cum regia Maiestate probè conuenire. Hoc enim ad Reipub. salutem aliquanto vtilius, & ad securitatem nostram firmius & efficacius esset. Nunc autem hoc abs te verè dici agnosco, neq; tamen hoc ipsum sollicitudinis meæ caussam tollit, sed eandem potiùs auget. *Regis vita & quæ ab hac pende: Regni fortuna Iesuitarũ affectui obnoxia.*

Ecquis enim certò dicere poterit, quod hoc Regi nostro perpetuum futurum sit, vt Iesuitis tam propitiis vtatur? Quid si is aliquando deprehensis illorum artibus, à quibus eum hactenus pleriq; nequiter circumuentum existimant, animum mutet, & potiorem Reipub. respectum habere incipiat, ecquid tum eum sperare iubebimus? Annon tempus fuit in Galliis, quo Henricum III. ex Polonia redeuntem Natio hæc eo applausu excipiebat, vt laudum eius præconio exsatiari nequirent, dictitantes: *Huic vni Indiuiduo omnes Constantinos & Carolos Magnos, omnes Ludouicos &c. inclusos esse. Hunc fortissimum, felicissimum, Christianissimum & inuictissimum Christi athletam, Ecclesiæ Catholicæ protectorem, Hæreticorum malleum & pauorem à Deo Galliis prouisum?* Quid verò hæc omnia eum tandem iuuerunt? Cùm hic proiectæ assentationis affectus paulò post ita prorsus in contrarium mutatus sit, vt eum non solùm occidi curauerint, sed occisi cadauer, quantum in ipsis fuit, sepultura prohibuerint: ipsumque Parricidam in Diuorum Catalogum retulerint.

Sed esto, inter nos tale nihil metuendum sit in præsentia, quis verò nouerit, qualis in posterum Regum rerumque nostratium status sit futurus? Nostræne itaq; Matri ita consulemus, vt tam ambiguæ fructificationis semen scientes intra Reipub. viscera retineamus, tanta cura foueamus & ad posteros propagemus? Quis, inquam,

inquam, sanus nobis suadebit vt fortunas nostras tam ambigui euetus aleæ committamus? Vt nempè Respub. non diutius salua sit, quàm quousq; Regi Reive publicæ cum Iesuitis probè conuenit? Vt tunc demum nobis securis esse liceat, quando nihil inter nos est, quod sectæ huic offensionis caussam præbere possit?

Dixi quãta vis sit aculei Iesuitici contra Reges statumq; regium, quoties hunc molitionibus suis obstare intelligunt. Heic autem te notare velim, eiusdem pestis non minorem efficaciam esse in oppugnanda Repub. atterendis Legibus, quoties nempe sentiunt, se ab his in instituta sua venatione impediri. Et quod ad Leges attinet, hæ politicæ tineæ illas præcipuè arrodere consueuerunt & exedere, quibus ius successionis in regno continetur, libertasq; & pax publica firmatur. *Iesuitismi genius ipsis Legibus infestus.*

Qualem in Galliis præcipuè inuenerunt legem illam Salicam, Matriculam & fundamentum illius Regni, per quam stirpis regiæ mascula proles, exclusis femellis, ad regnum sola admittitur. Cuius legis vigore successio Regni post interfectũ Henricum III. ad Henricũ IV. Regem tum Nauarræ deuoluebatur. Quod ipsum cùm secta Iesuitica suum interitum interpretaretur, tantum efficere potuit, vt Galli hoc Reipub. suæ fundamentum ipsimet subruere conarentur, ascita contra hanc legem Philippi II. Hispaniarum Regis filia, quam ex Henrici II. Galliarum regis filia susceperat, in *Lex Salica in Galliis.*

regni ſui heredem. Operis totius promotoribus, & internuntiis Ieſuitis. Quod autem Gallis Lex Salica præſtat, hoc Poloniæ adhuc Regum iuramenta conferunt, per quæ hactenus Reipublicæ liberæ electionis ius conſeruatur. Quàm periculosè verò hoc etiam libertatis noſtræ fulcimentum ab hiſce tineis arroſum ſit, egomet dicere nolo, nec publicum dedecus ipſemet diuulgabo. Eiuſdem virtutis illuſtre ſpecimen coram oculis noſtris in vicina Hungaria, Auſtria, Styria, Carinthia &c. ediderunt. Eo nimirum ſucceſſu, vt obtritis legibus, quibus prædictarum nationum & prouinciarum libertas nitebatur, partem earum penitus oppreſſerint, partem ad extremam deſperatione adegerint. Hoc quidem rumor publicus hactenus conſtanter affirmat, in prædictis Prouinciis alicubi illuſtribus & antiquiſſimæ nobilitatis familiis publicè diem dictum eſſe, intra quem ſe aut coram Ieſuitarum tribunali ſiſtant, aut relictis patriis ſedibus aliò migrent: quæ res fœtori iſti malè vertat.

Homines nobiles ſedibus pelluntur, quod Ieſuitis geniculari nolint.

Heic ergò iam, mi frater, quæro, ſi fortè res in eum caſum deueniat, vt Regiam Maieſtatem Ieſuitæ inter nos vel nunc vel poſteris temporibus ita colant, vt eandem contra Rempub. contra leges & libertates noſtras incitent: vt quando hactenus coram moderna Regia Maieſtate, Pacem religionis, vnicum illud furoris Ieſuitici repagulum, ita traducunt, vt eam Tartaricam & Mahometicam perfidiam nuncupent,

Pacem religionis Ieſuitæ vt canes lapidem proiectũ admordẽt.

pent,quam Regia Maiestas citra æternæ salutis suæ iacturam nec approbare possit, nedum vt eandem tueri debeat &c. quam inquam tu mihi spem facies?

Noui tamen quid etiam heic nonnulli excipiāt, Non esse videlicet tantopere admirandū, si Confœderatio illa fortassis non omnibus probetur, sub qua nimirum tot abominandæ sectæ quotannis inter nos suppullulent, &c. Age itaq; cedamus eis (quod tamen citra Reipub. præiudicium fiat) hoc iure: quid verò ad illud mihi respondebunt, quod in proximis Comitiis Varsauiæ Dominica Misericordias Domini anno 1606. ex P. Scargæ ore audiuimus, quando is conuerso sermone ad Regem, sic eum alloquebatur: *Eheu Rex, quorsum iam nobis res, tua intempestiua conniuentia reciderunt? Reges olim Poloniæ de rebus ad Rempub. spectantibus cum solis Senatoribus deliberabant: Nunciorū istorum terrestrium, quos vocant, nullæ in hisce rebus partes erant, vt qui non ita dudum introducti sint. Nunc verò tua & quorundam Maiorum tuorum socordia res eò, proh dolor, deducta est, vt quàm primùm feroculus aliquis Domicellus, qui se pro Nuncio forte terrestri gerit, votum suum proponit, omnes ei protinus assurgere cogantur &c. Tuum, tuum erat, ô Rex, huiusmodi peruersas, quæ contra antiquos mores inoleuerunt, consuetudines cohibere &c.* Vbi etiam manibus ceu nutu indicauit, quid fieri velit, *Summa nimirum papauera dementienda esse.*

P. Scargæ cū Rege expostulatio.

Hunc igitur Tubicinis iſtius aulici tenorem ſi reliqui tribules ita perſequerentur, vt ad iſtorum conſiliorum executionem operam & vires ſuas Regi aliquando in auxilium offerant, ecquid de nobis deq; noſtra illa hactenus illibata libertate futurum cenſes?

Diſputatur hodie inter nos de modo poteſtatis regiæ, itemq; de Reipub. in rebus ad regni ſalutem ſpectantibus autoritate. De hac autem controuerſia quid Ieſuitæ ſentiant non eſt obſcurum. Regi nempe regiæq; Maieſtati, quamdiu in conatibus ipſorum promouendis conſtanter pergit, tantum adiectum cupient, quantũ Henrico III. olim & eiuſdem ſucceſſori Henrico IV. propter oppoſitã rationem detraxerunt. Quomodo verò vice verſa in Rempub. animati ſint, P. Scarga iam nos docuit, & tu nos adhuc dormire velles?

Ieſuitarũ nequitia ſuos vbique applauſores inuenit.

Hæc igitur etſi palàm inter nos practicentur, ita vt animi affectus citra ruborem ipſimet in publicum prodant, ſunt tamen qui Ieſuitarum inter nos patrocinium ſuſcipiãt, & omnia ſedulò conquirant, quibus hæc ſub aliqua probabilitatis ſpecie vel prorſus negari vel ſaltem palliari & excuſari quocunq; modo poſſe confidunt.

His igitur deinceps nonnulla reſpondenda ſunt: nam hoc tertium nobis deſignationis noſtræ caput conſtitutum fuiſſe meminiſti.

Qui itaq; Ieſuitas omniũ feruidiſſimè propugnant, primo loco Catholicam religionem allega-

allegare consueuerunt, à cuius interitu sibi metuunt, si in Iesuitas grauius aliquid deberet statui. Estq; hic defensionis Iesuiticæ longè splendidissimus & maximè plausibilis prætextus, ad quem amplificandum congeruntur Ordinis istius res gestæ, Barbarorum nimirum infidelium sub vtroq; Mundi axe, sicut & Hæreticorũ in hisce partibus plurimorum felicissima conuersio. Quibus hodie inter nos adduntur diuini illi & miraculosi gentis illius successus in Moscouia, & augusta spes, quam ex illo tractu & nobis & Romanæ Ecclesiæ ostentant &c.

Ad hæc igitur quid dicemus? Hæc nempè, Primò heic admirari cogor, quibus rationibus sibi persuaderi patiantur, Catholicam religionem citra Iesuitarum operam in Polonia consistere non posse, ii qui credunt, Romano-Catholicam religionem, qualis illa nunc est, paulò minus quàm mille quingentos annos per Orbem durasse, antequam Ignatius Loyola in terris natus est: ita videlicet, vt in nostra etiam Polonia tot centenos annos egregiè floruerit? Deinde dico, Christum & Apostolos inde ab initio non solùm religionis propagationi, sed etiam æternæ eius conseruationi per sufficientia media abũdè prospexisse. Vt Ecclesiæ quàm diu in veritatis tramite simpliciter incedit, nullis nouis & extraordinariis Mediis opus sit. Hi autem non Iesuitas, quod quidem ego sciam, sed Episcopos, Presbyteros, Doctores, Pastores, Diaconos, &c. ordinarunt: istorum verò

Religionis Romano-Catholicæ conseruatio & propagatio.

Qui putãt Religionem citra Iesuitarum operam cõsistere nõ posse, ordinariũ Clerum pudenda ignauia arguunt.

Iesuitæ religionis prætextu pro illice vtuntur.

officiorum cùm non solùm nomina, sed etiam personæ inter nos supersint, quibus illorũ cura demandata est, quis dubitet, quin hi, dummodo officium faciant, religionem rectè sint curaturi, vt maximè Iesuitæ in Polonia nulli sint? Tertiò vlterius sic dico, Religionis curã & propagationem Iesuiticæ designationis minimam partem esse: quam nimirum ipsi amplius non curant, quàm quatenus prætextus illius eis ad principaliorem Instituti sui finem, de quo dictum est, viam munit. Id quod vel hinc apparet, quòd inter eos partes docendi in Ecclesia inferioribus ferè committuntur, vt primicerii huius ordinis & qui ingenio præstãt, illis, quas diximus, sublimioribus artibus in Aulis liberius vacare queant. Quartò experientia testatur, quod etiam virorum doctissimorum, quos vel Iesuitæ ipsi pro Catholicis coguntur agnoscere, calculo confirmatur, Iesuitas religioni Romano-Catholicæ intra Europam magis obstitisse, quàm vt eandem promouerint. De quo aliquot inter nos præstantissimorum virorum, ex ipso etiam Ecclesiastico Ordine, querimonias me non semel audire memini.

Hoc ipsum verò cùm multis prorsus incredibile videatur, his illud rationibus vlterius declaro. Ad experientiam quod attinet, negari non potest, solius Iesuiticæ bilis præferuidæ æstui imputandum esse, quòd Romano-Catholica religio hodie in amplissimo Britanniæ maioris

ioris regno tanto ſtudio premitur & opprimitur, vt nunc etiam poſt exactos Ieſuitas, Sacerdotum ſecularium vſu penitus priuentur, & ſic Regis clementiſſimi beneficio gaudere nequeant. Eandem calamitatem Catholici ante annos non adeò multos in Scotia Ieſuitarum culpa perpeſſi ſunt. Cùm enim illorum nonnulli in Regno illo Coniurationis cuiuſdam, quæ contra Regem Scotiæ in Hiſpania à P. Crichtonio Ieſuita inſtituta erat, tabulas hinc inde inter Catholicos clanculum circumferrent, quibus illi ſubſcribere debebant: re prodita, ex primaria Scotiæ nobilitate complures, qui hactenus ceu columnæ religioni Romano-Catholicæ in prædicto Regno fuerãt, extremũ vitæ fortunarũq; omnium diſcrimen adierunt. Sed & reliqui Catholici omnes cum ipſa religione, cui Rex antehac non admodum aduerſari videbatur, in iuſtiſſimum Regis odium incurrerunt: ea ratione, vt in hunc vſq; diem miſeri illi facinoris Ieſuitici pœnas luere cogãtur. Et quid aliud Hungaros & Tranſſyluanos non ita dudum ad eum modum exacerbauit, vt vnà cum Ieſuitis omnes Catholicos ſacerdotes, quos nanciſci potuerunt, malè tractatos ex finibus ſuis expulerint, quàm importunus ille Ieſuitarum feruor? Dum hi ſupremi Magiſtratus autoritate & fauore freti, prædictarũ Prouinciarum reliquas libertates tanto impetu inuadunt, vt incolæ, qui hactenus omnia pertulerant, has vltimas Ieſuitarum iniurias perferre

Calamitatis Catholicorũ in Anglia immediati autores Ieſuitæ.

nequiuerint, & extrema potius remedia arri-puerint: ad quod eos haud dubiè vicinarum Prouinciarum perſpecta calamitas animabat. Nec ego dubito quin inter nos etiam rebus turbatis Catholicæ religioni magnum aliquot infortunium conflaturi ſint, ſiquidem diutius inter nos conuerſari debeāt. Cuius rei cùm inter nos tum alibi hæc abundātiſſima cauſſa eſt, quòd hic liuor illa, quæ nobis tantopere commendatur, docendi facultate non contentus, machinationibus ſuis publicam Magiſtratus autoritatem prætendit. Quæ res vt fortè plebeculam territat, ita cordatiores quoſque vehementer offendit, ſtudia eorum ſuſpecta facit, & quod iniquiſſimum eſt, Magiſtratum, ſicut & ipſum Clerum, publico odio exponit, eiuſdemq; autoritatem ſubditis contemptibilem reddit. Hæc igitur Catholicæ religionis damna ſi cum profectibus comparentur, quos Ieſuitæ intra Europam in eiuſdem propagatione fecerint, tantum fortaſſis vix ſuperfuturum eſt, vt gloriabundæ illorũ iactantiæ reſpondeat.

Veruntamen vt huius etiam infortunii culpam eis condonemus, ſi doctrinam Ieſuiticam per ſe & extra hos exceſſus æſtimemus, in eadem nihil, quod tanto præconio dignum ſit, deprehendetur. Religio enim vel voce, vel honeſta vitæ conuerſatione, vel ſcriptis propagatur & defenditur. Vocis miniſteriũ Conciones & audiendarũ confeſſionum artificium comprehendit. In Concionibus Ieſuitæ, vt plurimum

Ieſuitæ quales concionatores.

mū ſubtiles, diſerti & in concitandis affectibus acres, vehementes, & impetuoſi eſſe conſueuerunt: vt imbecilles & incautos animos mouere & percellere poſſint. Haſce autem qualescunq; dotes, quæ in ſinceræ pietatis ſchola nō perinde æſtimandæ ſunt, corrumpit & cordatioribus ſuſpectas facit, primùm Elocutionis ſiue actionis (hanc quidam hypocriſin vocari dicunt) geſticulatoria leuitas, nimiumq́; fucandi ſermonis ſtudium, & qui ſub hoc prælucet, ardentiſſimæ ambitionis affectus. Quorum vtrunq; neſcio quid non Apoſtolicum ſapit. Deinde deformat eas iſta inexhauſta calumniandi & conuitiandi libido, qua plerunque in aduerſarios debacchantur. Idq́; tantum vt plebis animos incendant & exaſperent: cùm interim aduerſarios, quos lucrari debebant, magis indurent. Me quidem hæc ita offendūt, vt viliſſimi pagi parochum interdum concionantem audire malim, quàm qui in vniuerſa Polonia inueniri queat, diſertiſſimum Ieſuitam.

Ad confeſſionarium artificium quod attinet, non inficias eo, hoc venationis Ieſuiticæ præcipuum inſtrumentum & perquàm commodum rete eſſe. Neq; tamen hoc ipſum tam cautè hactenus diſponere potuerunt, vt illa omnium arcanorum perſcrutatio peccatorumq́; interdum non ſatis pudicum examen, cùm ſatisfactionis illa inſidioſa, multoties etiam auara impoſitione, non plurimos offenderit & à *Decipula Confeſſionaria.*

Catholica communione ita repulerit, vt ab eadem propter ipſos præcipuè Ieſuitas penitus abhorreant. Quantum ad vitæ conuerſationē; eam quidem ita hactenus inſtituerunt, vt nimis conſpicua illa vitiorum vlcēra, quibus Clērus hactenus ad eum modum deformatus, Laiciſque exoſus redditus fuit; ſtudioſè vitarint. Neq; tamen in hoc etiam propoſito tàm conſtantes aut circumſpecti fuerunt, vt non in oppoſito arboris ſcientiæ boni & mali fructus ſe in iiſdem proderent. Dum enim ab vna parte miraculoſam quandam vitæ continentiam, angelicam caſtitatem, religioſæq; pietatis deuotum ſtudium oſtentant: ab altera parte profundæ auaritiæ tam dira lues, & circumueniendarum nobilium Familiarum viduarumq; & orphanorum decipiendorum tam callidum artificium deprehenditur, vt hoc ipſum prudentioribus in hominibus tam religioſis ſummæ admirationi fuerit. Vt interim ſuperiorem artium Ieſuiticarum chorum heic intactum relinquam, de quibus tam multa iam dicenda fuerunt.

Ieſuitæ & ipſi de arbore ſcientiæ boni & mali guſtarunt.

Scriptio Ieſuitica.

Reſtat ſcriptio Ieſuitica, in qua ferè ſummus Inſtituti huius excellentiæ gradus conſtituitur, nec id prorſus vanum cenſeri debet. Negari enim non poteſt, dictionis Ieſuiticæ characterem per ſe terſum & argutum. Orationem etiam, ſi artificium ſpectes, floridam ſimul & neruoſam eſſe. Quæ ſcriptionis virtutes ad illectandam & capiendam iuuentutem non exiguam

guam vim habent, quæ etiam Iesuitas harum præcipuè rerum admiratione suspicere & sectari solet. Qui verò serio pietatis studio afficiuntur, hæc tantò minus curant, quantò in hisce rebus nimia Iesuitarum affectatio euidentior est: non aliter quàm si omnibus veteribus & recentibus Sophistis aut ipsis etiam rabulis palmam vellent præripere. Veritatis autem sermo simplex est & esse debet: inprimis verò Christianæ religionis tractatio huiusmodi fucatæ & coloratæ orationis lenocinia auersatur & respuit, tanquam corruptarum prurientium aurium non satis castum delinimentum. Prudentissimi deniq; , quiq; incorruptissimè iudicant, sic sentiunt; Iesuitas suis hactenus argutiis & concitatis scriptis eatenus saltem profecisse, vt Catholicos suos inflammatos concitauerint, partem verò aduersariam acuerint & obfirmauerint: vt sic bellum illud religiosum, quo ceu Causone quodam Europa adhuc amburitur, tantò periculosius exarserit. Quemadmodum nostris ipsimet oculis cernimus. *Iesuitica scriptionis effectus.*

Quod autem de barbarorum in vtraq; India conuersione pro Iesuitis adducitur, illud ex iis locis petitum est, ex quibus aliquis non solùm verum dicere, sed etiam securè mentiri possit. In Polonia præsertim & in illa explorationis difficultate, postquam Castilienses & Lusitani nullum extraneum in illas regiones admittunt. Ideoq; his nil aliud quàm vulgatum illud respondeo: *En Rhodus, en saltus.* De Hæretico-

rum in his terris conuersione rem non prorsus nego, vt de qua oculorum aspectus testetur. Opus tamen ipsum non tam doctrinæ Iesuiticæ extraordinariæ virtuti, quàm argumentorum aureorum & argenteorum ponderi ascribendum censeo, quibus vtuntur, quorumque perennem copiam eis Pontificis Romani fauor Aulæq; Polonicæ iucundus calor sufficit: inter quæ tamen heic inter nos quandoq; vitrea concurrunt, pro quibus alibi in vicinia, ferrea substituunt. Quod genus conuersionis Paulus Apostolus haud dubiè euersionem seu potius corruptionem dixisset.

Iesuitarũ aurea & argentea argumenta.

Moscouiæ infausta & periculosa tentatio.

Ad rerum Moscouiticarum successus quod attinet, illi reuera nobis hactenus non citra fastum ostentati sunt: quorum etiam præcox spes Gentem Iesuiticam ad eum modum inflauit, vt omnia sibi deinceps licere putaret. Qualia verò nunc ex iis locis per repetitos nuncios constanter afferantur, te non ignorare credo. Iesuitas quidem audio narrationi huic acerrimè contradicere, quod ipsum indicio est, rem ipsorum ibi agi, vt quicunq; effectus (vtinam bonus) secuturus sit, non aliis eum quàm ipsis imputare possimus. Interim tu nosti, quale meum ab initio, quàm primum consiliorum istorum aliquid in vulgus emanauit, de molitionibus illis iudicium fuerit. Ipsi nempè caussæ in genere melius fundamentum optabam. Deinde rem per se periculi plenam esse apertè profitebar. Meministi etiam me de hisce conatibus Horatianum illud vsurpare:

——————— *& arma*
Nondum expiatis uncta cruoribus;
Periculosæ plenum opus aleæ,
Tractas, & incedis per ignes
Suppositos cineri doloso.

Deniq; sic præ me semper tuli, si Iesuitæ negotio huic se immiscerent, nullum eius bonũ euentum expectandum, hos enim omnia turbaturos. Et si res felicissimè cadat, Imperium illud ab ipsis perturbatum & motibus intestinis repletum iri, qui nobis tempore fortassis non æquissimo negotium facessere possent; quemadmodum in Suecia nobis non ita dudũ accidit. Quàm verus autem & falsus in his omnibus fuerim, ipsum tẽpus reuelabit, & tum nos etiam de Iesuitarum in conuertendis barbaris studio rectius poterimus iudicare.

Religionis Conseruatrici propagationi subiungitur *Instituendæ iuuentutis nescio quod occultum & exoticum artificium*, propter quod Respub. (si vtiq; Ecclesia iacturam hanc negligere posset) Iesuitarum opera carere nullo modo queat. Et hic prætextus superioribus æstimationis pondere non multum cedit, cuius tamẽ vanitatem viri in omni disciplinarum genere exercitatissimi, qui Romano-Catholicam religionẽ publicè profitentur & defendunt; iam dudum Orbi demonstrarunt. Rationibus firmissimis euidenter ostendentes: Iesuitas primum & Iesuitarum Institutum bonis litteris & earum reflorescenti splendori plus offuisse;

Iesuitæ iuuentutis instituendæ artificiosissimi Magistri.

quàm easdem promouerint. Ostendentes insuper, Disciplinam Iesuiticã meram corruptelam esse ingeniorum: quorum videlicet aciem retundat, & pro eo quod illa liberali institutione informare & excitare debebat, quendam potius eis stuporem inducat.

Qua de re aliquot inter nos præstantissimos non semel conquerentes audiui, qui hodie in præcipuis Reipub. muneribus versantur, cùm dicerent, se coactos esse Iesuiticæ institutionis vitia aut peregrinando corrigere, aut eadem postquam iam ad Rempub. animum applicauerant, ipso rerum vsu dediscere. Quorum iudicio Experientia astipulatur, cùm constet, inter ipsos Hæreticos, quos hæc Gens nempe pro talibus tractari vult & haberi, Viros inueniri in omni disciplinarum genere exercitatos, qui ad omnia Reipub. munia idonei essent, nisi inuidia eos premeret: etsi Iesuitica institutione nullo vnquam tempore vsi sint. Quomodocunq; tamen hæc se habeant, illud apud me fixum manet: Si quæ Iesuitis hac in parte ab aliquibus tribuuntur, omnia verissima essent, & ipsi in Poloniam nostram alteras Athenas importassent, illud tamen nimis vile precium esse æstimandum, pro patria libertate, quam pro hac opera licitantur. Cùm præsertim eruditæ doctrinæ fructus aliunde non minus commodè, quàm à Iesuitis habere possimus.

Iesuitæ actuales. His tertio loco à nonnullis subiungitur, *Iesuitas tamen homines esse actuales, quorum in rebus*

arduis

arduis expediendis magna ſit dexteritas, eximia fides, &c. Multis hoc in ore eſt, qui pro Ieſuitis nituntur, quos equidem admirari ſoleo. Quòd nempe actualitatem hanc Ieſuitis ita tribuant, vt propter illam eos laudẽt, eoſdemq́; propterea retinendos & fouendos ſtatuant. Nimis enim mirabile mihi hoc in Religioſorum tam religioſo Ordine epitheton videtur, cùm hoc potius Daui alicuius Terentiani attributum ſit, qui ſua veteratoria calliditate & panurgia omnia turbat & inuoluit. Ego itaq; Poloniæ Milites potius & Aulicos, mihi verò Seruitores actuales, Eccleſiæ autem Monachos & Religioſos pios, doctos & deuotos opto. Veruntamen ſi quod res eſt fateri volumus, Epitheton hoc Ieſuitis nimis verè competit, de quo totus Orbis, inprimis tamen Europa adeò luculenter teſtatur. Et nos etiam hactenus actualitatem illorum ita ſumus experti, vt ſi inter nos ad hunc modum diu pergere debeant, de illis Comicum illud rectè vſurpaturi ſimus: *Quod ſi annitantur, ex vnis nuptiis geminas nobis effecturi ſint,* duplicato nimirum, quo in præſentia vrgemur, infortunio. Sed quid putabimus Auguſtinum reliquoſque iſtorum temporum Patres de huiuſmodi actualibus Monachis fuiſſe dicturos? Aut quis etiam in ſecularibus negotiis tam demens fuit, vt in ſeruo nequam veteratoriam calliditatem laudarit, aut Exploratoris exteri ſolertiam ita commendarit, vt eum propterea ſibi fouendum exiſtimaſſet? Te

igitur heic etiam ſcire velim, ingenio præſtante & verſatili nihil pernicioſius eſſe, ſi vires ſuas ad res malas applicet. Ideoq; hanc ipſam Ieſuitarum actualitatem egomet inter iuſtiſſimas metus noſtri cauſſas refero, quæ nobis veternũ excutere, noſq; ad ſeriam rerum noſtratiũ curam excitare deberet.

Ieſuitarum in rebus turbandis (expediendis dicere volebam) dexteritas.

Illud autem quod de expediendi dexteritate adiicitur, teſtimonio deſtituitur. Quid enim egregiè Natio hæc inter nos præſtitit, quidve tam dextrè expediuit, aut quod potius bonum non impediuit? Niſi fortè amiſſam Sueciam, afflictam Galliam, tentatã Scotiam, Anglicas conſpirationes & tot nobilium hominum tragicum interitum, Venetianas practicas, Moſcouiticas turbas, perturbatam Vngariam, oppreſſam Styriam, Carinthiam, Carniolam, & quæ hactenus in Polonia ediderũt aulica progymnaſmata, pro Ieſuiticæ dexteritatis operibus nobis ſint habenda? Ad res quidem arduas aggrediendas & inuadendas ſatis adhuc audax eſt hæc ſecta, audaciæ verò illius euentus is hactenus vbiq; ſequitur, vt turbæ maximæ ab illis excitentur: tales nimirum quæ citra infiniti ferè ſanguinis effuſionem adhuc nec ſiſti nec ſedari potuerũt. Quem igitur hæc agendi dexteritas delectat, is videat & prouideat, ne quid Reſpub. Ieſuitica detrimenti in Polonia capiat.

Nec id quod de illorum eximia fide prædicatur certioris fidei eſt: quod tamen illis forte

perſua-

persuaderi poterit, qui vel Iesuitarum arcanas designationes prorsus ignorant, vel quibus illi os aliâs ita oblinunt, vt propter certas caussas ad eorum palatũ omnia dicant & faciãt. Quod si tamen aliquis fidem Iesuiticam verbis extollere velit, dico eam, quanta quanta est, totam exteris, & quidem citra vllum boni Polonici respectum, addictam esse & arctissimè obligatam. Huiusmodi inquam exteris, qui etsi corpore à nobis absunt, consiliis tamen & occultis machinationibus, nimium interdum familiariter inter nos conuersantur. Cùm his ergò si forte aliqua nobis controuersia incidat, ecquid illi nobis de Iesuitarum fide polliceri poterũt? Annon verò in Galliis, Anglia, Scotia, Vngaria, Venetiis satis iam conspicua fidelitatis suæ documenta in publicum ediderunt, si ad nostratia vtiq; cæcutimus? Et quid in re manifesta verbis opus est, cùm nulla hodie Europæ Christianæ natio sit, quæ non de Iesuitarum perfidia, aut saltem perfidiæ suggestione & excusatione conqueratur, si vnam Hispaniam excipias. *Iesuitica fides Poloniæ inutilis.*

His deniq; à nonnullis additur, *Inconueniens esse, vt Iesuitas Poloni expellant, cùm Galli, qui propter longè grauiores caussas eos eiecerant, eosdem reuocauerint, vbi etiam adhuc citra vllum Reipub. incommodum viuant, &c.*

Ego verò noui Iesuitas in Galliam reuersos esse, sed quòd à Gallis reuocati fuerint, ne ipsi quidem, quamuis multa dicant, facilè dicturi *Gallia Iesuitas recepit.*

ſunt. Interim verò artes, quibus ſe in Galliis denuò inſinuarunt, tales ſunt, vt propter illas ipſas eiectionem eorum inter nos maturãdam exiſtimem. Ex illis enim liquidiſſimè perſpicitur, quãtum hic Genius intra Europam in verſando & circumagendo rerum cardine polleat. Sic enim noſſe debes, Ieſuitas in Galliam non propter aliquem eorum vſum, quo regnum illud carere non poſſet, receptos eſſe: ſed ad vehementiſſimam Romani P. inſtantiam. Quem videlicet Rex in tam infida cum vicino potentiſſimo pace offenſum nolebat: cui tamen ſerium Catholiciſmi ſtudium vix probaturus erat, quamdiu Ieſuitas regno arceret. Interea ne illud quidem dubium eſt, eos qui Pontifici in reſtitutione illa promouenda operam ſuam apud Regem præſtiterunt, maiora præmia conſecutos eſſe, quàm omnes, quicunq; hactenus Reipublicæ vel inter nos vel alibi militarunt. Quamuis non deſint qui exiſtiment, Henricũ IV. hac etiam ratione ſecuritati ſuæ conſulere voluiſſe, quòd aliàs à Ieſuitarum inſidiis nunquam tutus eſſet futurus. Quod autem hactenus pacatè dicuntur viuere, id ſi verum eſt, admirationem meretur: quantumuis cauſſas grauiſſimas habeant, cur ſe in tam recente anteactorum memoria ad tempus cohibeant, ſub illius præſertim Regis imperio, cuius autoritatem, quam ſibi rebus geſtis comparauit, non immeritò verentur & metuunt. Quid autem futurum ſit, ſi præſenti rerum Gallicarum capiti

Ieſuitæ cur in Gallia pacatè viuant.

piti

piti aliquid humani accideret, rerumq; administratio, vt antehac factum meminimus, ad minorennes heredes deuolueretur, facile erit diuinare. Cùm verendum ſit, Galliam tum demum commiſſi in recipiendis Ieſuitis erroris effectum ſuo magno malo ſenſuram. Nos verò hactenus cauſſa nulla, per Dei gratiam, vrget, vt Gallorum ſimiles facti, tam ambigui iactus aleam ſubeamus.

Hæc fere pro Ieſuitis ab iis afferuntur, qui perſuaſi ſunt, nec Rempub. nec Eccleſiam gentis iſtius opera commodè carere poſſe. Præter quos etiam alii ſunt, qui etſi Ieſuitarum acta omnium minimè probent, in eoſdem tamen nil grauius ſtatui patiuntur, quòd hoc citra maxima Reipub. incommoda ne tentari quidem poſſe exiſtiment. Itáne ergo Polonis res iam eò redierit, vt aut Ieſuitæ & Ieſuitiſmus nobis tolerandi, omneſq; illorum machinationes cum tam præſenti Reipub. periculo perpetiendæ ſint, aut extremum rerum diſcrimen adeundum? Vbi ergo tunc manebunt illa Ordinis iſtius elogia, quibus ab initio nobis commendati ſunt? Quòd homines ſint innocentiſſimi, pacifici, quòd ſpiritualibus contemplationibus toti addicti, in quibus Poloni huiuſmodi prorſus Clericos habituri ſint, quales iam dudum deſiderauerint? Ab his ergo talibus ecquid nobis timendum erit?

Ieſuitarum religioſa modeſtia parum fidendū.

Ego tamen iamdudum noui, Bilem hanc citra moleſtiam ex Reipub. corpore nunquam

euacuatum iri, postquam iam nostra incuria ad viscera tam altè penetrauit, ipsasq; præcipuè vitales partes tam arctè obsedit. Existimo tamẽ periculum aliquanto minus futurum, quàm pleriq; sibi imaginentur.

Incõmoda quæ Iesuitarum expulsionem secutura sint.

Quæ enim incommoda nobis narrant, quæ Iesuitarum expulsionem secutura sint? Pontifex, inquiũt & Hispanus grauissimè offendentur. Magna profectò numina, quorumque ira nobis haud leuiter æstimanda est. Quid enim de Polonia futurum existimabis, si Saturnum & Iouem Europæum tam malè dispositos habebat? Ego verò heic serui illius Comici expostulatione vti possem, *Possum'ne scire quot mihi heic Domini perferendi sint*? Ne tamen nimis alicui confidens & securus videar, de vtroq; aliquid dicendum erit. Ad Pontificis itaq; offensionem quod attinet, de ea quidem nullus dubito, quin nimis certò secutura sit, agnosco etiam eam nobis formidandam esse. Cùm verò à Iesuitis longè grauiora cogamur metuere, existimo hanc indignationem Polonis non nimium esse pertimescendam. Spero etiam ad eandem auertendã legitima media nobis non esse defutura. *Pontifex* enim aut bonus est & talis, qui memor sui officii, Regni Poloniæ æquè ac omnium aliorum Christianorum regnorũ optimũ statum promotum & conseruatum cupiat. Cum tali itaq; sperandum esset nobis facilè conuenturum: si nempe missis legatis ei ad oculum demonstrauerimus, Rem Polonicam

Pontificis offensio.

neq;

nec cum Iesuitis nec cum Iesuitarum hactenus vsitatis artibus diutius consistere potuisse, &c. Nec dubito quin is tempori cessurus & indignationem, si quæ oborta fuerit, Reipub. facilè remissurus sit.

Aut idem malus talisq; est, qui suæ tantum libidini, citra vllum Reipub. aut æquitatis respectum indulgeat, omniaq; prius sursum deorsum ferri patiatur, quàm vt quod malè cœptum est corrigi sustineat. Tum verò iram eius ne curandam quidem existimo. Neq; enim vlla vel diuina vel humana Lex Polonos obligat, vt aut suum ipsi periculum sibi scientes accersant, aut Romani P. iniustæ sibiq; præiudiciali voluntati se per omnia conforment.

Qua in re si meum tibi iudicium suspectum esset, Maiorum exemplis te patiaris erudiri, vt cogites, quid ipsi in simili casu fecerint. Nosti etenim, quanta animorum contentione Romani Pontifices olim Crucigeros contra regnũ Poloniæ defendendos susceperint, quàm atrocia Regibus nostris plerunque minitati sint. Resque tandem eò processit, vt circa annum 1456. si Æneæ Syluii epistolis credimus, Romæ Excommunicatio contra Regem, regnumque Poloniæ decreta fuerit. Neq; tamen hisce minis, quantumuis ipsius etiam Imperatoris Friderici III. indignatio eas acueret, ad eum modum se perterreri passi sunt Maiores nostri, vt non potiorem salutis Reipub. quàm indignationis Pontificiæ respectum habuerint. Q-

Maiores olim nostri Reipub. salute nihil antiquius habuerunt.

uum autem ouo tam ſimile nunquam eſſe poterit, quàm benè Ieſuitarum Inſtitutum, mores & actiones cum Crucigerorum ordine rebuſq́; geſtis conueniunt. Nam ortus ratio & occaſio ferè eadem vtrobiq; fuit: vtrumq; inſtitutum ad vnum eundemq́; finem per diuerſa ſaltem media fuit directum: forma politica exceptis paucis circumſtantiis eadem fuit: vterq; ordo progreſſus longè celerrimos fecit, dilatatæq́; per eos Chriſtianæ religionis & imperii laudem tulit: vterq; tandem à ſeipſo ita degenerauit, vt iis, pro quorum defenſione inſtituti fuerant, graues & moleſti eſſe cœperint. Differētia ſaltem in eo conſiſtebat, quòd Cruciger profeſſi Milites erant, remq́; apertis armis contra Maiores noſtros gererent, quorum legitima remedia Polonis nunquam deerant: hoc verò malum intra viſcera noſtra hærens iis artibus nos oppugnat, quarum Polonia antehac prorſus imperita fuit. Quæ res facit, vt exiſtimem, eos nouæ illius ſectæ inſtitutū omnium rectiſſimè æſtimare, qui *Ieſuitas Crucigerorum ſpurios* dicunt. Cùm itaq; Maioribus noſtris olim Pontificis nec indignatio nec autoritas obſtiterit, quò minus Crucigerorum iniurias acerrimè vindicarent, regnumq́; tuerentur, cur in ſimili caſu huiuſmodi ſpectris nos terreri patiamur?

Ieſuitæ Crucigerorum ſpurij.

Sin tamen hæc alicui fortè nimis antiqua viderentur, illi recentius exemplū habent, quod Auorum memoria accidit.

Sigiſ-

Sigiſmundus I. quē inter optimos ſuos Reges Polonia non immeritò recenſet, quem etiā Romana ſedes adhuc pro genuino obœdientiæ filio agnoſcit & prædicat, Albertum Brandeburgicum cum ditione Boruſſiaca in fidem & clientelam ſuam recepit, tum quando propter abdicatum Crucigerorum ordinem & deſertam religionē Romanam non ſolùm à Pontifice, ſed ad huius inſtinctum ab Imperio Romano ſub potentiſſimo Imperatore Carolo V. excommunicatus & proſcriptus erat. Aula tamen præcipuè Romana fremebat & indignabatur, quòd tota Boruſſia hac ratione ab Eccleſia abalienaretur. Nec Sigiſmundo parſura fuiſſet, ſi Excommunicationis aliquem potentem executorem potuiſſet habere. Hic enim deſiderabatur: quod tamen is ſuſq; deq; tulit. Et quid ego de Regibus noſtris dico, cùm noſtra hæc ætas eiuſdem magnanimitatis & egregiæ fidei in Rempub. illuſtre exemplum in ipſo regni Primate habuerit? Fuit is Iacobus Vchanski, Archiepiſcopus Gneſnenſis, cui cū Romanus P. Excommunicationis telum intentaret, quòd animaduerteret, eum in conſiliis publicis, maiorem ſalutis Patriæ, quàm ſedis Romanæ reſpectum habere: is ſe adeò non paſſus eſt à propoſito dimoueri, vt Pontifici potius reſcripſerit, ſe ſi pergeret ei Reipub. nomine moleſtiam exhibere, intentatum fulmen in ipſum retorſurum. Quo reſponſo ictus Pontifex Archiepiſcopum miſſū fecit, vt qui noſſet

Alberti Brandeburgici exēplum.

hoc ei in Polonia facilius factu quàm dictu fuisse. Cuiusmodi libertatis spiritū, si ex illius successoribus hodie, sub hac inquam Iesuitica animorum dispositione aliquis sibi vsurpare præsumeret, ecquid tu de eo futurum putas? Annon ille quanto ocyus ad Patres ire cogeretur? Hæc igitur masculæ virtutis exēpla quoties in Maioribus nostris considero, toties admirari cogor, quæ res hodie nostratium Prælatorum animos ita immutarit, vt in multò leuioribus casibus tantas sibi difficultates imaginentur: Dum interdum Pontificis nescio quæ Regalia allegant, quæ inuiolata retineri volunt, sed & Regem ita loqui docent: non aliter quàm si Polonia iam duos Reges haberet, vnum Cracouiæ, alterum Romæ. Dum etiam exterorum offensiones sæpius vltra modum exaggerant, Reiq; publicæ se tam difficiles præbent. Quēadmodum iam aliquoties in deliberationibus de Moldauia, Walachia & tandem etiam Transsyluania fieri vidimus. Ideoq; sic tandem existimo, eos qui à Pontificis offensione sibi tantopere metuunt, siquidem Iesuitæ paullò durius tractari deberent, eo ipso satis demonstrare, quàm frigidè erga Rempub. affecti sint, & suspicionem de se non exiguam præbere, quòd priuata commoda illis Patriæ salute potiora sint. Quales si Maiores nostri fuissent, Borussia nobis hodie carendum & in hunc vsque diem cum Crucigeris colluctandum esset. Sed & hanc scrupulosām in hoc ordine conscientiā

Clerus Polonicus à Iesuitis corruptus.

nulli

nulli alii rei hodie, quàm Iesuiticæ, de qua dictum est, dispositioni debemus.

Vbi tamen mirari cogor, quid hi, qui eis hac in parte eatenus astipulantur, vt Pontificem nulla in re offendi patiantur, posteritati aliquando responderi velint, si nempe illa ex nostrorum temporum historia rescifcat, Rempub. Venetam propter repetitas à Pontifice aliquas Ducatûs Ferrariensis particulas, & propter improbatas quasdam non maximi momēti constitutiones, pro libertatis suæ defensione, Iesuitas ex dominio suo vniuerso expulisse, & intentatam propterea Pontificis excommunicationem, vsque ad aperti belli periculum contempsisse: cùm interim Maiores sui in Polonia libertatis alumna tam meticulosi fuerint?

Quod si etiam in hisce rebus, nos ad eum modum à Pontificis arbitrio patiemur suspendi, Polonorum conditio multò deterior, adde & seruilior futura erit, quàm ipsorum Moscorum: qui in consiliis de Repub. nulla alia quàm ipsius Principis Reiq; publicæ *Regalia* respectant, aut attendunt.

Hispani offensio quanti Polonu in hoc casu æstimanda.

Ad Hispanum quod attinet, ego non video, quæ ei iusta offensionis caussa à nobis præbeatur, si nos nostræ Reipub. pro rerum nostrarū exigentia pro virili studeamus consulere, citra vllum eius præiudicium? Cur etiam Regem illum potentissimū magis offendat, quòd nos Iesuitas expellimus, quàm nos hactenus offen-

dit, quòd ipse eos, vt sibi commodos, tam indulgenter fouet? Quid si verò Rex Hispaniæ, Rex Poloniæ audire vellet; (quod equidem quo minus ad libitum consequatur per Iesuitas non stabit) num ad cauendam eius indignationem hoc ei concedendum esset? Si deniq; eò nos demiserimus, vt domi nobis nihil agere aut tentare liceat, nisi quod aureo velleri probetur, ecquam Rempub. in Polonia habituri sumus?

Verùm heic nonnulli adhuc pergunt excipere, *Etiam domi & intra parietes multos offensum iri.* Cui aliqui adiiciunt, *si Iesuitæ extra regnum proscribi debeant, etiam alios, & illos præcipuè Euangelicorum ministros vnà exterminandos, &c.*

Ad prius quod attinet, de multorum intra domesticos parietes offensione, ego primùm nescio, quinam illi multi futuri sint, quorum offensionem nobis tam periculosam imaginari debeamus, si præsertim reliqui Cleri securitati caueretur? Cùm enim heic nil aliud quàm salus Reipub. eiusq; in longum propagatio quæratur, nemo hinc tumultuandi occasionem habere poterit, nisi fortè fortunas suas cum Iesuitis ita coniunxerit, vt cadentibus illis, ipse stare nequeat. Et hi ferè illi sunt, qui eis omnium molitionum & consiliorum, fortè etiam contra regnum, sunt conscii. Et quamuis verendũ sit, eorum plures esse, quàm expediat, ne horum tamen offensio perinde nobis æstimanda

Quibus ferè Iesuitarum expulsio omnium ingratissima sit.

est.

eſt. Cùm nemo dubitet, quin bonorum, qui Rempub. ſaluam cupiunt, multò maior pars in omnibus Regni partibus futura ſit.

Sed eſto, vt heic fortè aliquid nobis moleſtiæ ſuſtinendum eſſet, num propterea Medicinam reſpuemus? Quæ purgatio ægroto vnquam tam feliciter ceſſit, vt non aliquid ex illius operatione torminum ſenſerit? Quòd ſi Ieſuitarum expulſione illos fatales tumultus auertere & præcauere poſſemus, qui hactenus pleraſq; Europæas Prouincias tam duriter afflixerunt, quo de egomet planè ſum perſuaſus; res'ne digna cenſebitur, propter quam etiam incommodi aliquid patiamur? Si publicæ libertati, ſi regno nihil periculi eſt, ſi priuatorum corpora & fortunæ in tuto ſunt, ecquid tumultuamur? cur exterorum inſidias & conſpirationes metuimus? Sin verò hæc omnia nobis ita imminent, vt Ieſuitas eorum, ſi non principales autores, pernicioſos ſaltem actores, promotores & internuncios nouerimus, vt omnes præ ſe ferunt, ecquid amplius cunctabimur?

In puniendis Pacis publicæ perturbatoribus non persona, sed factum respiciendum.

Ad alios verò, Euangelicorum præſertim Miniſtros, quod attinet, ſi in eadem turbatæ pacis & oppugnatæ publicæ libertatis culpa cũ Ieſuitis hærent, nil equidem cauſſæ dicam, quò minus & illi & quicunq; crimini huic quocunque modo affines deprehenduntur, cum eis expellantur. In ſuſpicione enim turbatæ Reipub. neminem quodcũq; vitæ genus tueri poteſt, aut eidem patrocinari debet.

Q

Sed nunquid heic res cum re aut caussa cum caussa conferri poterit? Quemnam Pontificem aut Hispanum Ministri illi intra aut extra regnum habent, cui hunc agrum arent aut serãt, aut ad quem eis, rebus heic perditis, perfugium pateat? Quales etiam in Aula & circa Reipub. clauum, illorum partes sunt, aut in æternum esse poterunt? Aut quæ prædia hi in detrimentum Nobilitatis coemerunt, quasve immunitates in fraudem Reipub. consecuti sunt? Et quæ etiam illorum vires sunt, propter quas Reipub. formidabiles aut saltem suspecti esse debeant? Quorum diuitiæ ferè omnes in lacera & detrita vt plurimum Reuerenda, vt nostrates loquuntur, & Bibliorum, adde si res lauta est, Augustini codice, nudaq; & numerosa sobole consistit? Ipsi denique Euangelicorum Ministri, annon vniuscuiusq; pagani Præfecti superioritatem agnoscere, eidemque se sistere coguntur? Collatio itaq; hæc prorsus inepta, adde & ridicula est.

Ministrorum Euangelicorum intra regnum conditio.

Sunt fortassis & alia quæ pro Iesuitis ab illorum fautoribus nobis obiici possent, sed ea vix maioris momenti erunt, quàm quæ hactenus allata sunt. Ideoq; hæc tibi sufficient, vt ex quibus reliqua facilè diiudicare poteris.

Ex his ergo, quæ hactenus demonstrata sunt, firmiter tandem concludo: Iis qui hoc tempore Rempub. restitutam, sanatam & in posterũ saluam cupiunt, si ordine procedere, si laborum suorum fructum aliquem sibi polliceri volunt,

sunt; ante omnia operam esse dandam, vt Iesuitæ extra regnum abigantur: sed ita vt abactos obdito pessulo reditu prohibeant.

Expulsionis Iesuitarum qualis effectus sperandus.

Expulsa autem & expurgata hac acri & arrodente bile, Morbi nostratis paroxysmus in genere & paulatim lenietur, reliquæ partes affectæ, Clerus præcipuè, sanabiles & tractabiliores reddentur, poteritq; quod luxatum est, per ocium, citra grauioris alicuius symptomatis metum curari & restitui.

Quamdiu verò hic Incendii febrilis fomes intra Reipub. viscera retinebitur, nulla nobis salutis & securitatis spes relinquitur. Quodcunq; enim machinabimur, quibuscunq; emplasmatis vulnera ligare & obducere studeamus, opera & oleum nobis peribunt, malumq; in hac corporis Polonici Cacochymia ad leuissimam quamque occasionem recrudescet: Neque enim Iesuitæ, vt cetera omnia sanentur, ad Regni Poloniæ legumq; Polonicarum similaritatem in æternum reducentur, vt illa sub hoc, qui adhuc qualitercunq; durat, statu probent.

Particularis purgatio quomodo secundum nonnullos instituenda.

Ideoq; ne eos quidem audiendos censeo, qui vt res minus odiosa sit, non vniuersalē purgationem censent instituendam, sed per partes tantùm bilis istius detractionem & imminutionem faciendam putant. Verbi gratia, sunt qui eos tantùm extra regnum propellendos existimant, qui vel clandestinarū machinationum contra regnum cooperatores aut saltem

conſcii fuiſſe deprehenduntur, vel quorum ſeditioſus feruor publicæ paci præcipuè periculoſus cenſetur. Sunt qui hanc Ieſuitiſmi diminutionem à locis incipiendam ſuadent. Vt nempe ex primariis Regni Vrbibus aut vbicũque ab eis Reipub. inſigne aliquod periculum metuendum eſſet, remoueantur. Sunt deniq; qui putent, publicæ ſecuritati ſufficienter proſpectum iri, ſi latis legibus, in arctiores carceres redigantur. Hæc igitur conſilia paucis diſcutiamus.

De his primum in genere ſic dico: cum quacunq; Ieſuitarum offenſione, ſiue eos in vniuerſum expellamus, ſiue audaciam illorum ad certam quotam reſtringamus, Pontificiæ indignationis inuidiam nobis ex æquo metuendam eſſe: quam tamen pleriq; omnium maximè cauendam cenſent. Hoc ſaltem diſcriminis erit, vt ſi partem aliquam Ieſuitiſmi intra viſcera retinuerimus, tanto plus nobis periculi ab eodem Pontifice futurum ſit. Cùm igitur cum particulari offenſione tantundem difficultatis ſubeundum ſit, quantum cum totali expurgatione, cur non hanc, vt vtiliſſimam & certiſſimam, præferemus? Immò hanc ego tibi ceu Maximam præſcribo: *Ieſuitas facilius ex regno expulſum, quàm intra regnum in ordinem redactum iri.*

Particularis expurgationis incommoda.

NB.

Dico amplius eos vehementer errare, qui ſperant, Bilẽ hanc ita cautè poſſe moueri, vt nõ protinus exardeſcat & exaſperetur, & vt non

omnes

omnes vindictæ occaſiones ſtudioſiſſimè conquiſituri ſint, quodcunque fortè ad tempus, propter præſentem neceſſitatem ſimulẽt. Quæ occaſiones ingeniis iſtis intra & extra regnum nunquam defuturæ ſunt. Quod ſi ergo, reſumtis aliquando animis & viribus, denuò aliquid & fortè periculoſius quiddam moliantur, quid tum facto opus erit? Num quotannis in Ieſuitarum gratiam Generalem Rokoſch celebrabimus? Deinde in ſpecie iis qui nocentiſſimũ quenque ex Ieſuitis exterminandum cenſent, reſpondeo: Nec cauſſam nec culpam earum rerum, quarum Ieſuitæ inſimulantur, ita partiri & ſeparari poſſe, vt alter altero mitius aut durius tractandus ſit. Sic enim iam oſtenſum eſt, ſectam hanc tam arctè inter ſe compactam eſſe, vt totum corpus & cum hoc omnia eius Indiuidua membra, in harum præcipuè rerũ praxi, de quibus nobis ſermo eſt, in vnum conſpirent, & ad vnum ſcopum mente & corpore ferantur. *Ieſuitarum omnium æqualis culpa.*

In vna itaq; eademq; culpa omnes æqualiter hærent: differentia, ſi quæ eſt, in ingenioſarum virium ſaltem inæqualitate conſiſtit, vt quod vnus, aut alter fecit, omnes facturi fuerint, ſi vires aut occaſio non defuiſſent. Nec credo te audiuiſſe, quòd Ieſuita aliquis à tribulibus ſuis, ob quodcunq; etiam deteſtandum facinus, publicè damnatus aut etiam reprehẽſus ſit. In hoc enim genere non peccant, dummodo facinoris perpetratio in illum finem dirigatur, quem Ieſuitis in ſpecie propoſitum eſ-

ſe oſtendimus. Quod autem de nonnullorum ſeditioſo feruore affertur, illud per ſe ſpecioſum eſt, ego tamen ſic exiſtimo, Illos nondum peſſimos, aut etiam Reipub. periculoſiſſimos eſſe, qui Cracouiæ, Poſnaniæ &c. ædes exurũt, Cœmeteria inuadunt, ſepultorum corpora refoſſa immaniter violant. Contra hanc enim rabiem, licet in hunc vſq; diem impunita mãſerit, vel tandem remedium aliquod inuenietur. Sed illas potius vulpeculas nobis obſeruandas cenſeo, qui per Sudetas montes, Alpiumque iuga hinc inde commeantes, exoticarum artiũ ſpiritum ferunt & perferunt. Deniq; remedium hoc, ſi tam benè caderet, vt nocentiſſimi qui ſunt, exterminarentur, nos tamen ſaltem ad tẽpus releuaret, dummodo releuaret: tam diu nimirum, donec his alii ſeptuplo peiores ſubmitterentur. Num verò hoc ſatis iuſtum operæ precium cenſeri debebit? Illius inquam operæ, quam Reipub. tantis ſumptibus, tanta Nobilitatis defatigatione, nec ſine noſtro periculo præſtare conamur?

Ieſuitarũ ſtudia quæ nocentiſſima.

Qui verò eos ex Aula & primariis Regni Vrbibus expellendos ſuadent, illi quidem aliquãto fortius conſulere videntur, ſed non multò plus, quàm priores proficiunt. Videntur quidem certæ Reipub. partes nonnihil ſubleuari, videntur etiam Ieſuitis præcipuæ nocendi occaſiones eadem ratione præcidi. Egoq; iamdudum ita perſuaſus ſum, nullum grauius in Rẽpub. peccatum à nobis commiſſum eſſe, quàm

quòd

quòd Iesuitis in hisce Regni arcibus ad expediendas suas machinas tantum spacii concessimus, Id quod forte tum demum sensuri sumus, si aliquid fortassis periculi à meridie & occidente nobis ingrueret.

Secundi consilii absurditates.

Heic tamen admirari cogor, quibus rationibus consilii huius autores ducantur, quòd in Reipub. curatione, potiorem Vrbium, quàm equestris Ordinis, ipsiusq; adeo Cleri respectum habeant? Eos itaq; libenter interrogarē, quid putent singularis auxilii ad Rempub. rediturum, si primariæ Regni ciuitates exonerentur, & pestis hæc interim liberè in Nobilitatem grassetur? siq; peregrinismo huic liceat reliqui Cleri animos continenter sollicitare & in transuersum agere? Ecquam illi tum rebus nostris spem securitatis faciunt? Hi ergo in eo periculosè falluntur, quòd existimant, malum Iesuiticum intra Vrbium ædificia ita contineri, vt ibidem tantum aut saltem potissimum Reipublicæ noceat: cùm hæc primum ipsius Aulæ, vt ostensum est, deinde publica animorum pestis sit, à qua Nobilitati & Clero & per hos demum Reipub. præcipuè metuendũ sit.

Quin imò, dum Iesuitas in vniuersum extra regnum propellendos suadeo, in eo Cleri Polonici quàm maximum respectum habeo, cuius excessus non aliter, quàm bilis huius feruentis subtractione corrigi posse existimo. Ex his ergò iterum perspicitur, ne huius quidem consilii, eum inter nos effectum sperandum

Propter Clerũ præcipuè Iesuitæ sunt expellendi.

esse, quo nobis ad res nostras componendas & firmandas opus est.

Restant ii, qui Iesuitas non solùm ex Aula remouendos & ex Vrbibus expellendos, sed etiam latis legibus intra Monachorum claustra redigẽdos & Ordinariorum iurisdictioni, hoc enim à nonnullis additur; subiiciendos consulunt.

Videntur & hi aliquanto longius progredi, quibus ego ad vitandam maiorem inuidiam, omninò parendum suaderẽ, si vlla saltem consilio huic spes subesset. Sed hanc sequentia mihi in vniuersum præcidunt. Primum Iesuitas ita animatos esse certò noui, vt omnia potius moturi, omnia turbaturi sint, quàm vt splendoris & existimationis illius, qua ipsorum ordo hactenus supra reliquos Religiosorum ordines, ipsumq; Clerum vniuersum eminet, vel minimam iacturam subeant. Iesuita autem si ex Aula excludatur, si in versando Reip. clauo, non omnibus aliis præpolleat, si à publico ita arceatur, vt claustro inclusus, alium quàm proprium militiæ suæ Ducem superiorem agnoscere cogatur, si denique omnium arcanorum explorandorum occasio ei adimatur, à summo ad infima sibi redactus videbitur, vt qui iam nil amplius quàm vulgaris Monachus futurus sit. Quod dedecus Gens ista non mitiori indignationis affectu auersatur, quàm si nobilis aliquis Regniq; dignitarius, subitò in abiectissimæ plebis censum detrudatur. Cœlum itaque

Tertii consilii vix vllus effectus sperandus.

potius

potius ruere patiétur, quàm vt hanc in se ignominiam admittant.

Esto tamen vt heic eos patientiores offendamus, quàm ego sperem. Quæro igitur secundo loco, quibus vinculis eos constricturi simus? Certis legibus, inquies, publicisq; constitutionibus. Bene dicis, Egoq; fateor hæc iusta esse in Foro politico cohercendæ libidinis media, quantumuis hactenus per illa non pro spe profecerimus.

Verùm heic vlterius quærere cogor, Eccui huiusmodi legum & constitutionum, si quæ factæ erunt, executionem commendaturi simus? *Ordinariis locorum*, respondebis. Ego verò agnosco ad ipsos munus hoc ex Regni legibus spectare: sed quid si ipsi tam odiosam Prouinciam recipere nolint, aut excommunicationis Pontificiæ metu non ausint? Veruntamen siue recipiant, siue repudient, ne sic quidem Reipub. securitati prospicietur. Primùm enim antiqua illa disciplinæ seueritas, apud nos hodiè multum remisit, qua apud Romanos olim parentes de liberis, si fortè in Rempub. peccassent, supplicia sumebant. Verendumq; propterea erit, ne optimo cuiq; ex hoc ordine, & qui aliâs in Rempub. rectè affectus est, illud in hac custodia vel imprudenti accidat, quod Vir ille Dei 3. Reg. 20. in historia Achabi sibi euenisse fingit: vt dum ipse aliis rebus intentus est, captiuus, cuius custodiam susceperat, aufugerit. Deinde experiētia testatur, Ordinarios lo-

Iesuitismi inclusi anceps & periculosa custodia.

corum hactenus magis Iesuitis parere & obnoxios esse, quàm quòd hi illorum auctoritatem aut iurisdictionem multum curent. Quin immò hi pro Episcoporum pædagogis se gerũt, quos etiam, vt Aulæ Rom. Corycæos, metuere & obseruare cogũtur. Qualem ergò coercitionem ab iis expectare poterimus?

Iesuitæ superiorum prælatorum pædagogi.

Tertiò sic dico, quodcunq; de his omnibus fiat, Nos tamen contra gentem hanc Legibus nostris nihil profecturos, in quo me experientia ipsa iam erudiit. Quid enim? *Confœderatio publica* annon Lex est, annon Constitutio est, annon Polonorum ius est, publicis Regis & Nobilitatis iuramentis sancitum & confirmatum? Sed quid per hanc eandem hactenus cõtra hanc pestem Politicam proficimus? Annon rabies ista per hoc efficacissimum (sic quidem Maioribus nostris videbatur) remedium irritata potius est, quàm cohibita? Quàm petulanti lingua stiloq; Satyrico liuor iste hoc salutare institutum incessit, deridet & exsibilat? Tam laxum & molle capistrũ Dæmon iste tam impatienter fert, qua igitur ratione arctius duriusve quiddam feret? Cumq; hoc isti constitutioni faciant, per quam Iesuitismus propriè non læditur, ecquid de illis fiet, quas in suam perniciem factas recordabuntur?

Confœderatio quàm ciuiliter hactenus à Iesuitis tractata.

Et quid tandem Iesuitis nos præscribere tẽtabimus, cùm suis ipsimet constitutionibus, quæ contra hanc, de qua conquerimur, intemperiem ad speciem inter ipsosmet latæ sunt,

non pareant? Anno enim ſuperioris ſæculi 93. Ieſuitarum ſuperiores cùm animaduerterent, res Gallicas ſuorum potiſſimum ſcelere jam fermè perditas, coacto Romæ generali totius Ordinis conuentu, ſtatuto ſanxerunt: *Patres ſocietatis Ieſu, cum omnibus qui ordini illi aſſcripti ſunt, à cauſſis & negotiis ſæcularibus in vniuerſum abſtinere debere, &c.* Huic igitur decreto ecquomodo hactenus inter nos paruerunt? *Statutum conuentus Ieſuitici.*

Sic igitur tandem contra hos etiam concludo, cõſultius eſſe vt tam fera Beſtia prorſus abdicetur, quàm vt Caueæ intra domum incluſa, cum perpetuæ ſollicitudinis cruciatu cuſtodiatur.

Dixi autem, Ieſuitas non ſolùm expellendos, ſed etiam contra reditum omnia diligenter præcauenda eſſe. Neq; enim expulſi quieſcunt, vt non omnem lapidem moueant, quo ipſis redire liceat, vt ſic hanc veſti Ieſuiticæ injectam maculam viciſſim eluant. De quo nos Gallia admonere debet, in cuius Aula Ieſuitarum abſentium practicæ tantùm potuerunt, vt cùm excuſſi Dentis in ore regio lacuna reſarciri nunquam poſſet, Ieſuitæ tamen, reclamantibus Parlamentis & obnitente prudentiſſimo quoq;, non ſolùm reſtituti ſint: ſed etiam Pyramis illa, perpetrati ſceleris æterna index, fuerit demolita. *Morbi cauſſa ita tollenda vt ægroto etiam cõtra recidiuã proſpiciatur.*

Hoc autem inter nos hac fortaſſis ratione omnium rectiſſimè præcauebitur: Si primum bona illorum immobilia in alios vſus ad publi-

cam Regni, præcipuè tamen Nobilitatis, cui maior illorum pars detracta est, vtilitatem conuertantur. Quod sic commodissimè fiet: Si bonis litteris consultum cupimus, quarum videlicet interitum pleriq; sibi per Iesuitarũ expulsionem imaginantur, detur opera, vt ex iisdem Cracouiensi Academiæ de viris bonis, doctis & in omni disciplinarũ genere probè versatis extra ordinem prospiciatur: aut si ita placet, præter hanc alia intra regnum Academia instituatur. Deinde alibi in regno scholæ hinc inde aperiantur, in quibus non solum eruditis Præceptoribus honesta stipendia constituantur: sed etiam pauperibus Scholasticis, iis nempe qui ingeniis valent, sed propter fortunæ tenuitatem, litterarum studia commodè prosequi nequeunt, de victu & sustentatione prouideatur. Idq; tanto maiori cura, quòd ex Nobilitate etiam omnibus temporibus inueniantur, qui huiusmodi studiorum subsidiis opus habent. Et hæc ego districtuum in regno ceu publica Gymnasia esse vellem: quorum cura & inspectio certis ex Nobilitate vtriusq; ordinis viris & qualificatis personis commendari posset. Hoc si fieret, Iuuentuti nostræ, quæ in spem honorum & ad Reipub. ministeria educatur, cum pietate & bonis literis Patriæ Legumq; patriarum & reuerentia à teneris implãtaretur, & Reipub. de viris idoneis ad eum modum prospiceretur, vt eidem ab exterorum factionibus & insidiis minus periculi esset. Iesuitarum

Bonorum Iesuiticorum dispensatio.

tarum etiam expulsorum desiderium, si quod erit, intra paucos annos prorsus euanesceret & oblitteraretur.

Tertiò si quid superest, vt omninò superfuturum puto, publica ex eo Nosocomia instituantur, in eorum vsum, qui in bellis se pro Repub. strenuè gesserunt, & vel vulneribus debilitati sunt, vel per ætatem militiæ labores nō amplius perferre possunt &c. Vt hæc militaris virtutis quasi Asyla constituantur, vbi benemeritorum & emeritorum illa non turpis senectus honestè & liberaliter sustentetur. Cuius sanctissimi & vtilissimi Instituti exempla, in Vrbibus Belgicis me videre memini, cuius etiam specimen nobis præbuit laudatissimæ memoriæ R. Stephanus, quando Warsaviæ huiusmodi pro debilitatis militibus Xenodochium instituit & dotauit. A cuius tamen præclara & planè regia voluntate & intentione, nimis citò recessum est. *Militū emeritorum Nosocomia.*

Nec ego video, quomodo Iesuitarum bona vel sanctius vel vtilius collocari queant: ita nimirum, vt quæ semel piis vsibus destinata sunt, iisdem maneant, & ipsius interim Nobilitatis damnum, quod à Iesuitis Iesuitarūq; artibus se accepisse queritur, aliquo modo resarciatur, & sic Reipub. commodis vtrobiq; optimè consulatur.

Facta ad eum modum bonorum Iesuiticorum dispensatione, per peculiare statutum sub infamia aut alia aliqua seuera pœna interdici *Statutum de Iesuitis non reuocandis.*

posset: Ne quis primum de reuocandis aut admittendis Iesuitis vllo tempore publicè aut priuatim mentionem facere ausit. Neve deinceps vlla ex Regno iuuentus, nobilis præsertim à cuius salutari institutione Patriæ salus pendet, ad Iesuitas extra regnum se conferat, iisdemq; se disponendam committat. Ne dum domi in expurgando Iesuitarum fermento laboramus, illud ab extra nobis nihil tale suspicantibus obrepat.

Typographiis frenum iniiciendum.

Tandem opinor diligenter prouideri oportere, ne per Officinas Typographicas talia in publicum spargantur, quæ præsenti Reipub. statui & Regni huius libertati quocunq; modo aduersantur. Qualia nimirum illa hactenus fuerunt, quæ Iesuitæ adhuc sub modernæ Regiæ Maiestatis regno, Cracouiæ & alibi contra Confœderationem publicam in vulgus ediderunt. Talia inquam quæ per ipsorum iugulum reditura fuissent, si Legum publicarũ is vigor, ea obseruantia in Polonia esset, qualis in benè constituta Repub. esse debet. Vbi tamen vafricies ista hoc insuper dolo vt plurimum vsa est, vt huiusmodi pestilentia scripta sub alienis, certorum nimirum Prælatorum, nominibus emiserint: vt nimirum hac ratione vniuersum Clerum in inuidiæ publicæ consortium pertraherent, & disperso in plures facinore, eius vindicationem Reipub. difficiliorem facerent.

Hac inquam ratione, si in Matris nostræ Reipub. Polonicæ curatione procederetur, ita

nimirum,

nimirum, vt in huiuſmodi proceſſu ſororum eius Europæarum antegreſſa veſtigia intentè obſeruaremus, tum demum de mediationis ſucceſſu ſpem aliquam mihi imaginari & tibi etiam, mi Frater, polliceri poſſem. Sic etenim peregriniſmum illum, vt ita loquar, à quo nobis non abs re metuimus, inter nos eradicatum & penitus obtritum iri confiderem: Vt ipſum primum Clerum, cuius ad efficiendum ſtatum publicum permagnam vim eſſe noſti, commodiorem, & publicarum legum, ſicut & patriæ libertatis ſtudioſiorem, ſimus experturi; quàm hactenus eum in rebus maximi momenti experti ſumus. Deinde ſi in Reipub. adminiſtratione, circa rerum Polonicarum caput aliquid vitii apparuit, aut negligentiæ aliqua nota fuit deprehenſa, opinor & illud remota hac corruptela paulatim emendari poſſe & reſtitui, idq; citra omnem tumultum & perturbationem. Tandem in ipſa etiam Aula illud factionum ſtudium, quod hactenus iuſtitiæ valdè inimicum ſumus experti, paulatim reſidebit & extinguetur. Sublataq; & quaſi obſtructa hac capitali diffidentiæ & publicæ indignationis ſcaturigine, omnes regni partes & ordines ſub vnanimi pacis ſtudio denuò inter ſe coaleſcent, & ſic tandem Reipub. totius corpus priſtinæ ſanitati reſtituetur.

Quàm diu verò hoc negligetur, noſtris legibus, conſtitutionibus, confœderationibus, congregationibus, nil amplius efficiemus,

quàm vt irritato malo Reipub. ſciſſuram amplificemus, dum ignis qui ad momentum ſopitus videbitur, denuò erumpens maiorem fragorem edet.

Hæc ſunt mi Frater, quæ in præſentia de rerum noſtratium ſtatu eiuſdemq́; correctione mihi in mentem venerunt, quæq́; tuo iudicio ſubiicere volui. Si quæ autem præter hæc deſideraueris, illa vel aliunde commodius petere, vel eorundem diſquiſitionem in noſtrum congreſſum differre poteris. Vale Deo, Patriæ, tibi tuiſque.

* *
*


EXEM-

EXEMPLAR LITTERARUM BONONIAE DATARUM.

In quibus

Excellentia & perfectio PATRVM SOCIETATIS IESV ostenditur: multaq; simul ipsis Patrib. & eorum institutis factae obiectiones resoluuntur.

PER-QVAM-ILLV-STRIS, ET FILI IN-ſtar dilectiſſime in Domino.



I PIÆ deuotiſſimi quondam patris tui animæ renunciaretur de relictis abs te ſtudiis, & ſpreta gubernatione mea; certè tui huius inſtituti rationem vbicunq; etiam locorum degeret, quàm maximè eſſet improbatura. Siquidem vltra modum amans te pater, & ſalutis tuæ cupidus, quum neq; meliori præſidio, neq; tutelæ magis ſecuræ, quàm noſtræ, committi te poſſe intelligeret; ab ipſis mox incunabulis, & vixdum etiam pedibus rectà incedentem ad Eccleſiam & Collegium noſtrum adduxit: vbi te omnibus Patribus cognoſcendum exhibens, ſingulatim commendauit. Et quia tunc ego præter reliquos omnes, indolis tuæ viuacitate, & forma huic conueniente captus me illi obtuli, vt tui curam haberem, teq; erudiendo inſtituerem: ille, cum primis ſe fortunatum inde prædicans, palàm confeſſus eſt, ſibi in hac vita nihil iſto iucundius accidiſſe. Ac quoniam aduerſa

aduersa aliquando vtens valetudine, Beato Ignatio Fundatori nostro te deuouerat; sæpius affirmauit, nolle se, vt vnquam à me separareris, sed potius, vt in Societate hac nostra mecum viuendo, vitam tuam finires. Neq; verò ego promissioni huic meæ vlla vnquam ex parte defui, sed sincero animi affectu operam dedi atq; effeci, vt, quod manifestum est omnibus, breui temporis spacio plus morum atq; eruditionis apprehenderis, quàm pro annorum numero in hac iuuentute tua potuit desiderari: idq; tanto cum honore Domus nostræ, & tanta mea cum gloria, quantam nemo prætereà scholarium vllo vnquam tempore nobis attulit. Quæ etiam indies magis magisq; augebatur expectatione illa omnium, qua breui futurum sperabatur, vt, quod patri tuo vnicè erat propositum, in Fratrum & Nouitiorum nostrorum numerùm reciperereris, egoque annos meos cum amabilissima hac conuersatione tua essem finiturus. Sed tu è contra paternorum præceptorum parum memor, & cum saluti tuæ, tum voluntati ipsius planè contrarius, dũ tantopere à me vituperatæ Cucullatorum illorum Religiosorum conuersationi, à quorum tamen vitiis falsisq; institutis semper te dehortatus fueram, te adiunxisti, & tanto tempore ab hisce scholis subduxisti; omnem fidem & spem nostram in dubium vocasti, meq; inprimis omni solatio priuasti. Scio equidem, te multis illorum captiosis Syllogismis illectum

persuadere tibi, quasi manibus cœlum tangas! sed tandem peccatis & pessimæ doctrinæ implicitus & inuolutus animaduertes, nouæ istius amicitiæ fructũ non esse alium, quàm quòd perniciosæ cuidam Libertati te commiseris, certissima cum iactura magni illius meriti; quod mediante singulari obœdientia, qua nobis obsttingebaris, iam acquirere cœperas. Quo nomine grauiter doleo; & magis etiam affligor, quòd ætatis tuæ florem in ocio conteras, & pulchritudinem illam atq; spiritus viuacitatem, quam largitus tibi est Deus, vt ad Religionis suæ cultum atq; vsum eam impenderes, inaniter consumas. Etsi enim florentes hi ætatis tuæ anni dignum te excusatione aliqua apud me quidem reddunt: non est tamen; quin si toties mihi factæ promissiones tuæ, & iuramenta in conspectu Dei, atq; ipsius Ecclesiæ præstita aliquãdo innotuerint; apud notos & familiares, atq; adeò Ciuitatem vniuersam, maximam id tibi reprehensionem & perfidiæ notam sit allaturum. Sed quid Ciuitatem & amicos dico? Ipsemet Devs periuris offensus, poterit aliquando seuerum aduersus te exercere iudicium, & nec flagella in cœlo præparata euitantur: neq; illis vel iuuentute, vel corporis robore obsistitur; sicuti ex multis historiis typo commissis certior huius esse potes: sed serius aut citius, nisi à peccato destiteris, suum ea sortientur effectum. Excute igitur improbum illum Angelum ab humeris tuis, recedendo

dendo à præcipitio, ad quod te ille ſtimulat; & ad bonam mentem reuerſus conſidera, de quã-ta virtutum & morum ſublimitate cecideris, infernali barathro & æternæ damnationi ap-proximando. Conſidera etiam, quòd etſi pater tuus è viuis decedens tantas tibi opes reliquerit, quantas vix alius nobiliſſimus quiſq;, ita tamen comparatum ſit, vt exiguis cum facultatibus, in tanto fratrum numero nequeas hoc ſeculo viuere, atq; eum ſplendorem tueri, quẽ Natales tui, & familiæ veſtræ Amplitudo re-quirunt. Quamuis enim iam quidem & hu-manitate & liberalitate adiutus vitam non absq honoris aliqua ſpecie agas: tamen inui-dum tempus iuuenilem hunc vigorem & cor-dis hilaritatem, quæ omnia & iucunda facit & ſuauia, mox tibi eripiet, & mille infirmitatibus te grauatum (quum pœnitere iam amplius nõ licuerit) in anguſtum miſeriarum carcerem, vbi Fortuna ſomnolentos & nihil certi apud ſe conſtitutum habentes vanæ ſpei fumo paſcit, aget præcipitem. Scito, iuuentutis indigentiã & pueriles affectus, qui primis nos annis ha-bent ſolicitos, facilè poſſe ſedari; quandoqui-dem Natura, multiplicationis ſiue augmenta-tionis cupida prouiderit, vt quouis in loco ea naſcantur & reperiantur, quæ iuuentuti & pueritiæ ſint commoda: at in adulta ætate, & via ad ſenium nos ducente, quando inſtar aui-um è nido euolare valentium, à patre & matre deſerimur, atq; ipſimet nobis neceſſarium pro-

curare victum cogimur; tunc & passiones & necessitates sese produnt, & nec ea, quæ ad supplendos defectus nostros ordinata erant, amplius suppetunt: imò cibi & alia, quæ iuuentuti ad annorum maturitatem tendēti vsui esse solent, noxia cum primis & lethalia exsistunt: si quidem Natura nouis intenta operibus, & parùm de nobis solicita, permittit vt prius illud totum consumatur & deuastetur. Vnde priusquam anni tibi immutentur, & eiusmodi perturbationes superueniant, prudenter feceris, si certam vitæ rationem inieris: &, si multis incommodis atq; infortuniis tibi impendentibus te volueris subtrahere, rectius agere non poteris, quàm si de consilio meo subitò ad nos fueris reuersus, atq; Societatis huius habitum receperis: vbi cum animæ tuæ trāquillitate in promptu & parato reperies ea, quæ in hac vita animo generoso, & homini nobili, qualem te esse scimus, necessaria esse queunt: &, vt summatim dicā, quæ vel in seculari aut mundana vita, vel etiam apud vllam aliam Religionem siue Ordinem nunquam consequeris. Nec verò austerum illud Religiosi nomen, aut vanum Clausuræ præsuppositum te deterreat. Tantùm enim abest, vt quidquam inde damni metuendum sit, vt plus etiam lucri, quàm vlli hominum è qualibet civitate, aut etiam alia congregatione ciuili possit contingere, hinc sperare licet. Religiosus enim, si vniuersim consideres, præterquàm quòd sacrorum

crorum ministeriorum exercitio, re profectò quouis preciosissimo thesauro venerabiliori, occupatur; absq; labore viuit, cultus & honoratus ab omnibus, tam in ceremoniis publicis, quàm priuatis, subleuatus in necessitatibus, à personalibus factionibus & militia exemtus, à quouis onere & exactione immunis, ad duellũ siue singulare certamen non adstrictus, & multis denique falsis ac popularibus opinionibus minimè obnoxius. Similiter & Clausuræ illæ non ita se habent, vt ipsimet Religiosi sub his veluti conclusi teneantur; sed vt aliorum bona in iis adseruentur, atq vt ipsi haud magna cum molestia, Dei laudes commemorando, vita magis libera & secura fruamur. Deinde si ad particularia perueneris, tum verò longè meliorem conditionem hanc nostram inuenies, quandoquidem Societates nostræ Clausuris istiusmodi, vti & alio extraordinario vinculo disciplinæ, vigiliarum, & ieiuniorum (quæ certè homines & stupidos faciunt, & conuersationi, tum negotiis ad proximi salutem necessariis minus reddunt idoneos) nequaquam sunt obligatæ: sicuti antiquæ illæ Religiones siue Ordines omnes, nullo Romanæ Ecclesiæ vsui exsistentes, eius generis apparentibus, & in oculos incurrentibus operibus necessum habent. At nos à Choro, à Processionibus, ab Exsequiis liberi & immunes, veluti simplices Sacerdotes seculari quadam libertate gaudentes, omnes operationes nostras ad ea studia di-

rigimus, quæ homines circumspectos & admirandos reddere, atq; insuper etiam sanctam sedem Romanam valde exaltare, & magis magisq; illustrare queant. quamobrem etiam digni ab Ea sumus iudicati, vt quemadmodum veteribus illis Religionum Ordinibus, propter exiguam nimirum, quam habent Sedis ipsius euehēdæ aptitudinem, cotidiè privilegia & indulta auferuntur; ita nobis econtrà veluti vtilissimis eius Ministris singulis ferè horis ea dilatentur & augeantur. Quæ sigillatim ita considerata, præterquàm quòd certum te reddere possunt facilitatis Institutorum nostrorũ, perspicuè etiã cognoscendã exhibere queunt Superioritatem illã, qua cõgregatio nostra omnibus aliis præeminet Ordinibus. Idq; non absq; grauissima ratione: quoniã isti in Extremis fundati, domi apud se nõ admodũ sunt durabiles; foris autem etiam animis periculosi. Monachi namq; Maiorum ordinum solis diuitiis cumulandis operam dantes, serui euaserunt peccati & mundi: & ob id etiam exosi redditi, cotidiè Epicediis precationibus incumbunt, officium hoc suum ea tantùm in parte impendẽtes, quæ reditibus ex alieno statu hauriendis, ad subleuandam Prælatorum & Curiæ Romanæ necessitatẽ commoda esse queat & vtilis. Mendicantes deinde propter affectatam paupertatem suam contemti, quamcunq; etiam minutissimam Eleemosynã collectum circumeunt, vel ad pagos vsq; mendicando: & ad postulationem

tionem cuiusq; etiam abiectissimæ mulierculæ in ipsis ædium Epistyliis, & priuatorum casis sanctissima Missarum sacrificia vilissimo pretio celebrant, diuinaq; mysteria communicando distribuunt, seculò sese immiscentes, atq; iis sese inquinantes erroribus, vnde vrgens nata est occasio de Reformatione, & si illa non successerit, de vniuersali Ordinis illius destructione cogitandi. At nostra Societas quæ benè instituta Respublica est, prudentia & sagacitate Patrum nostrorum, in Mediocritate collocata, super Monachicam opulentiā sese non effert, & nec tamen ideò ad infimam mendicitatem deflectit, sed tantum ab vna atq; altera, quantum ad DEI cultum opus est, participans, cum certa animæ salute hunc sibi finem semper habet propositum, quomodo Romanæ Catholicæ fidei grauiora & maximi momēti beneficia possit promereri. Vnde Pontificibus grata, à Principibus obseruata, & à Populo culta, atq; circuli solaris æmula, cum filiis suis in omnibus terrarum partibus gloriosa erit, in cœlo beata. Hinc nascuntur inuitæ illæ voces, à depressis æmulis nostris contra mores & exemplarem doctrinam nostram effictæ: quæ auribus tuis insusurratæ haud dubiè in caussa sint, quòd oculis meis subductus, & à Domo ista fueris distractus. Incusant nos primùm Superbiæ, quòd Sociorum titulum vsurpemus, & aliorum Ordinum homines vix Seruorum nomine dignemur, quasi quisquam sit, qui sincero animo in-

dicans non intelligat, Nos diuina prouidentia in normam & correctionem aliorũ electos esse, ideoq; iustum, dilectam hanc congregationem eius, insigni & specioso aliquo vocabulo à tot Monachorum & Fraternitatum inutilibus sectis distingui. Præterea & hoc reprehendunt, quòd recusemus ciliciis vestiri, aut cibis pasci rústicis: sed illudentes, dicunt, nos vestibus vti ex lana tenuissima, & cutem tegere cãdidissimo linteo, nutritos optimis & delicatissimis cibis, qui vel in Vrbe, vel territoriis vicinis reperiantur. Insuper, nolle nos in pàgis habitare, aut sub tectis humilibus: sed cum à Patribus nostris, varias mundi partes peragrantibus, omnis commoditas atq; venustas excogitata sit; possidere nos (dicunt) in omnibus regnis & prouinciis Christianismi, meliores & præstantiores situs atque Palatia, quàm alibi haberi queant, non quidem in Villis & Castellis casas fundantes, sed in Vrbibus primariis, & iis rebus abundantibus, quæ generi humano possint sufficere. Sed neque sic Ædes illas acceptari, nisi prius & reditus, & habitationes pro Patrum & Coadiutorum temporaliũ numero ibi fuerint præparatæ. Non animaduertunt autem affectibus corrupti obtrectatores, id, quod de vestimentis, cibis & habitationibus dicunt, ad summam laudem Societatis totius, & Patris Ignatii primi Institutoris nostri vergere. qui vt omnium hominum sapientissimus vestes incultas, cilicia, & cibos agrestes,

quæ

quæ miræ corporis afflictiones ſunt, ipſum etiam ſpiritum affligere & debilitare intelligens, vſu illarum rerum nobis interdixit, & voluit de iis veſtibus & alimentis nobis eſſe proſpectum, quæ ei conueniant, qui ad exaltationem Eccleſiæ Catholicæ Romanæ mentem in ſtudiis, linguam verò, ad Sanctorum Apoſtolorum exemplum, in perſuaſionibus publicis & priuatis exercet. Habitationes verò quod attinet: quis non videt, ad decus & ornamentum ſanctæ Religionis ſiue Ordinis hoc fieri? idque ita vt fiat neceſſum eſſe: ſiquidem in his fouēda ſunt ſeminaria eorum hominum, quibus Eccleſia & tota Chriſtianitas regatur? Quantum poſteà ad doctrinam: quum Maledici iſti ad vera dogmata ſuſtinenda inhabiles ſint, ne impotentes dicam, ad operas & labores Societatis noſtræ exæquãndos, eo fatigantur, vt in Dei gratiam & voluntatem omnia reponentes, vanum eſſe demonſtrent grande illud meritum noſtrum. Ideoque Pelagianos nos vocant & Epicuri diſcipulos: propterea quòd ex aſſertione nunquam ſatis laudati Molinæ dicamus, Deum nolle phyſicè moueri animos hominum, ſed in æterna quiete ſua exſpectare, vt ſua gratia ad hoc deſtinati, cum merito bonorum operum, ipſimet per ſe Paradiſum acquirant. Cæci! non vident Deum in diuinitate ſua immobilem, & immediatè, & variis modis gloriam ſuam amplificare: & nobis in hunc finē deorſum à Maieſtate illa conceſſum

eſſe

esse, Regnum ipsius propagare, & mediantibus Regulis nostris, librisque spiritualibus, hominum animos persuasionis vi, quam nobis largitur, mouere, & facilem ad cœlum viam reddere cunctis fidelibus, qui exsuti omni politica curiositate, nostris duntaxat præceptis salutiferis obœdierint. Et quod maius aut certius bonitatis & integritatis doctrinæ nostræ signũ Mundus desiderare potest, si publici errores maximarum Vniuersitatum, singulariter verò Regiæ Vrbis Parisiorum per nos fuerunt correcti? Ibi enim, paucis quibusdam seniorum Literatorum exceptis, reliqui omnes Moderni & iuniores Doctores facilè doctrinæ nostræ accesserunt non amplius scribentes, Romanorum Pontificum errores, quantumuis exorbitantes, à Conciliis posse corrigi; aut verò defendentes, licitum esse Gallorum Regi liberã administrationem rerum Ecclesiasticarum impedire: & si quæ aliæ eius Regni Maximæ sunt siue Regulæ alicuius momenti aut ponderis. Etsi enim ob multas rationes, & Scripturarum allegationes ab antiquissimis & celeberrimis Doctoribus approbatas, itemque vanos multorum labores inexpugnabile id existimabatur: constat tamen, a nostris id ipsum Patribus iam esse euictum: dico illam tantopere decantatam Gallicanæ Ecclesiæ libertatem: qua expugnata, & veluti monstro à nouis illis vt ita dicam, Theologiæ Herculibus sepulto, liberum omninò à quouis impedimento in omni-

bus

bus Principatibus rursum euasit absolutum sanctæ Sedis Romanæ dominium. Nónne eius rei indubitatam quoq; fidem facit, cùm vides, quomodo apud nos contra hæreticam prauitatem omnes scientiæ diuinæ & humanæ floreant? & quòd hic Viri insignes & Magistri in omni disciplina celeberrimi reperiãtur? à quibus absque auida illa pecuniæ spe (quem sibi finem alii habent propositum) maior & melior pars iuuentutis Christianæ instituitur: & quidem in dedecus & confusionem malè affectorum & suum saltem commodum inde quærentium Pædagogulorum. qui, cessantibus cõmoditatibus & emolumentis illis, quibus quamprimùm Patres nostri apparuerunt, destituti fuere, variis imposturis curârunt laudabiles operationes nostras inquinare, in vulgus spargentes; Ad scholarium eruditionem Nos vtilitate & voluptate moueri, non verò charitate, aut proximi amore. Idque inde liquere, quòd ad diuites & formosos duntaxat animum applicemus, de aliis verò parum simus soliciti, vtrum maiores progressus faciant, quàm qui ad apparentiam illam conseruandam, qua cognatos & parentes eorum perpetuò nobis veluti mancipatos habeamus, sint necessarii. Hoc amplius subiungunt, Nos sub Religionis sanctissimæ prætextu in teneros animos subditorũ aut Ciuium, scholas nostras frequentantium, contemtus & inobœdientiæ semina aduersus naturales eorum Principes spargere,

persuadentes eis, quòd illi solummodò principi, quem Nos veluti Monarcham omnium constituimus, credendum & obœdiendum sit. Et cum eiusmodi quidem diabolicis inuentionibus ausi fuerunt hoc agere, vt scholæ nostræ prohiberentur. Sicuti in nobili quadam Italiæ ciuitate hoc illis successit, extremo cum damno tùm illius; tùm aliarum ciuitatum liberorum nobilium & primariorum, qui studiorum caussa ad eam concurrerant. Quibus calumniis, à linguis lucripetis, siue suum spectantibus cõmodum profectis, prolixè quidem responderi posset. sed præstat eas, secundum regulas nostras logicales, silentio præterire. Hoc tantum dico, fortunæ bona necessaria esse ei, qui litteris animum est applicaturus: & pulchritudinẽ verum viuacitatis spiritus, & ingenii bonitatis signum esse atq; indicium. Vnde si iis, qui eiusmodi dotibus sunt præditi, incumbimus, facimus hoc tanquam in subiectis aptis ad disciplinam natis; non autem voluptatis ergò, aut facultatum comparandarum gratia. Denique, cùm videre licet, scholas nostras vndique vel ab ipsis etiam Principum filiis, tanto cum concursu (solitis illis præceptoribus repudiatis) appeti: hinc infallibilis sequitur conclusio, quẽadmodum Nos & exsistentia & reputatione omnes alios Ordines superamus; ita etiam doctrinas è Domibus & Collegiis nostris prodeuntes, reliquas itidem omnes, siue Diui Thomæ, siue Scoti sint, & pietate, & dogmatum

tum soliditate excedere. Quo etiã sit vt quod aliis prohibitum est, nobis liceat libros & scripta tenere atq; perlegere: ex quibus quandoq; ob publicum bonum, impiorum nomine sublato, & celebris cuiusdam Patris nostri in vicem eius substituto, in publicũ ea rursus emittamus. Tuq; hac ætate tua nõ iam audies amplius Aristotelem & Ciceronem, monstruosa gentilitatis monumenta: sed cathedras auctoribus longè illustrioribus ornatas cernes, & in vniuersum solos ibi Aluaros, Toletos, Molinas, atq; alios Societatis nostræ Doctores graues legi audies: vt ita hæ atq; aliæ detractiones, à maleuolis ad conspurcandam doctrinam & inculpabiles mores nostros excogitatæ non secius æstimandæ sint, quàm aurum & margaritæ: quæ, vti per rationem liquere potest, quò magis adfrictæ fuerint, eò lucidiores semper & splendidiores inde reddantur. Quod si fortè vllum ab Assentatoribus istis dubium anteà fuit motum: non solùm clarum tibi illud, si de eo mecum contuleris, & perspicuum reddam: sed & participem te factum veritatis, in hoc magis magisq; confirmatum iri spero, vt optima mea consilia amplexeris. Certus etiam sis, te apud nos quouis genere commoditatis & gustus facilè inuenturum esse viam & modum, quo ad honores & gradus summos, generosæ stirpi tuæ conuenientes euehatis. Ac poteris scientiarum nostrarum facilitate, & mediante viuacitate ingenii tui, aut prædicando, aut do-

cendo celebris euadere. ex quorum vno atque altero maximam vtilitatem & non exiguam existimationem referes: quandoquidem à Viris, à Mulieribus, à Populo, & Magnatibus ipsis coleris atque subleuaberis: nec quicquam tibi in mentem veniet, quod non ilicò, quàm primum fuerit rescitum, promissuri tibi sint & donaturi. Tibi priuatorum ædes erunt apertæ: tecum de maximis rebus ciuitatis consultabitur: te secretorum suorum quilibet faceret participem: & quando animum ad hoc, prout decet, applicueris, extrinsecâ illâ pietatis vmbrâ simplicis multitudinis opinionẽ attrahendo; pro arbitrio tuo ex Magistro aut Prædicatore, non quidem specietenus, sed re ipsa Imperator & Monarcha fies: & non solùm tibi ipsi commodum & honores conciliabis, verùm etiam gloria ita auctus Societates nostras illustriores & ditiores reddere poteris: sicuti multis Patribus in Polonia, Transyluania, Austria, Bauaria, Hispania, atque aliis in locis vsuuenit: quinimò in ipsis etiam Indiis, vbi noua vinea Christi, maxima Societati nostræ Monarchia erecta est & plantata. Quocircà perquam mihi gratum foret, si exactam informationem illius, quod scribo, curiosius apprehẽderes: Sic enim deprehensurus esses, prouincias Ferdinando Archiduci subiectas Suprema inspectione Societatis nostræ regi, & vel inde felices esse, quòd omnia Patrum consiliis gerantur, siue de dignitate & Magistratibus conferendis,

ferendis, siue de belli etiam apparatu tractetur. In Bauaria quoq; omnia Patrum nostrorum prudentia gubernatur. Ipsaq; Transylvania à solo administrata fuit Patre Cariglia, qui Deo inseruiendo curauit, vt Imperatoris manui & potestati ea subiiceretur. Nonne Galliá & Regem ipsum Pater Cotto in præsentiarum gubernat? Et in Polonia, non obstante paucorum satis Christianorum tergiuersatione, Rex sanctitatis nostræ spiritu atq; instinctu viuit. In Hispania, Lusitania, Belgia, Italia & Sicilia cui ignotæ sunt diuitiæ & autoritas, qua pollemus? Sed quid de Patre Personio dicam? qui Romæ agens, plus auctoritatis habet in Anglia (vbi Religio Apostolica Romana vniuersim quasi proscripta videtur) quàm Rex ipse? nec Comes ibi est, Marchio, aut Prælatus Catholicus, quin pro Superintendente aut Gubernatore conscientiæ suæ aliquem ex Societate nostra habeat. Ac vt summatim concludam; Generalis noster, sicuti manifestum est omnibus, Romam regit, & Pontificatum. Quam ob rem nescium te esse nolo, nos certo Obœdientiæ voto sanctæ Sedi obstrictos teneri, vt scilicet *non petito viatico* eò nos conferamus, quocunq; etiam locorum ab Ea fuerimus destinati. Inde nos ipsius Sedis Ministri facti confidentissimi, & grauissimorum Secretorum eius conscii, id quod in commodum nostrum cedit, Pontificibus persuademus; omnes, qui ad functiones aut Prælaturas adspirant, necessitate obstrin-

gentes, vt ad intercessionem nostram confugiant. Atq; hoc Pontificio ministerio insigniti, & excitata in nos totius Mundi opinione, in Ciuitates, Regna, & ipsorum Principum corda penetramus. Ita fit, vt cùm hi dominium super vitam & bona subditorum teneant; Nos ex permissione diuina possessionem voluntatis cùm Principum, tum subditorum occupemus. Et quemadmodum sancta Fides, vbi vbi innotuerat, maximos faciebat progressus: ita & nos, vbicunq; agimus, sub nomine Iesu, insensibiliter, tale obsequium acquirimus, vt posteà in Principum potestate non sit, inde nos depellere. Cui rei fidem facere potest amplissimum & potentissimum Galliæ Regnum, suis illis turbis nouissimis. Quapropter Arbitri sæpenumerò contentionum non tantùm inter Principem & Principem, verùm etiam inter Dominos & Vasallos constituti, pro lubitu nostro & bellũ & pacem Mundo adportamus: non absq; euidenti prætensione, quòd Sanctæ illius sedis possessio, in Patribus aliquando nostris casura, successivè posteà perpetuari queat. Quod cùm euenerit; tam insigne incrementum capiet Catholica Religio, vt spes sit, breui videri posse ex Principatibus Christianis & Mundo vniuerso factum esse *Vnum ouile, & vnum Pastorem*. Nec verò propter votũ illud veluti ligati tenemur, aut quidquam imminuitur libertas aut præeminentia nostra: quinimo ob concitatum in nos omnium timorem & existimationem non dubi-

dubitamus quandoq; pro maiori securitate, etiam aduersus ipsos Pontifices, ex Religionis zelo calamos & linguam stringere : singulariter verò, si Interesse vel emolumentum Magnatũ quorundam, quorum in nos beneficia constãt, interueniat. Econtra nemo est, qui aduersus Nos auctoritatem Pontificiam regentes quidquam proferre ausit. A nostris enim oppugnatus, pro hæretico & schismatico ab omnibus habebitur : sic vt cœlesti hac gratiâ etiam Sacrosanctos & inuiolabiles nos conseruemus. Quòd si forsan animus tibi non fuerit, grauioribus Mundi negotiis te immiscere, aut Principum sectando familiaritatem, incertam subire fortunam : arbitrii tui erit, in qua Domo aut Collegio tibi quàm maximè placuerit, felicissima frui quiete, & in Ecclesiis sermocinando, pietatem in hominum timidorum, & mulierculàrum deuotarum pectoribus fouere. quod ipsum maiorem quoq; honorem & commodũ tibi comparabit. Nam si eos, qui peccata sua tibi confitentur, recensione rerum terribiliũ, & miraculorum à Patribus nostris ad hoc collectorum, in officio, vt à peccatis abstineãt, continueris; tum de facultatibus & personis eorũ dispones, in honorem Dei, quomodocunq; tibi placuerit. Ac tametsi sanctus hic zelus noster ex malitiosa interpretatione sinistrè accipiatur, & passim spargatur, Nos eandẽ rem diuersimodè huic atq; illi referentes, discordiam & lites disseminare inter maritum & vxorẽ, patrem

& liberos, fratres & cognatos; atq; hac ratione ad trutinam consiliorum nostrorum suspectos habẽtes priuatos, Ciuitates, & integra Regna, dominium Nos & absolutam tyrannidem in quoslibet vsurpare: omninò tamen actiones illæ reprehendi nequaquam possunt: cùm omne id ad animarum salutem sit directum, Nosq; in hoc conformes reddamur verbo Euangelico, quod habet: Non veni mittere pacem, sed gladium. Veni enim separare hominem aduersus patrem suum, & filiam aduersus matrem suam. Vnde pro errore habendum non est, loqui aut tractare contradictoria, & cognatorũ ac ciuium animos disiungere, dummodò id totum in vtilitatem cedat Ecclesiæ, & sanctæ Sedis: in cuius seruitio & magnitudine vera pietas summaq; Religio consistit. Et vt scrupulos aliquot, qui ex vulgi obmurmurationibus menti tuæ potuerunt esse iniecti, tibi eximam; aduertere te volo, quod cùm primarii Domini, & nobilissimæ ciuitatum matronæ, ex deuotione sua ad Ecclesias nostras concurrãt, tum inuidi bonum in malum detorquentes, id singulari artificio nostro fieri dicant, & hac illac disseminẽt, quòd in confessionibus audiẽdis difficiles quidem plebeiis atq; pauperibus nos exhibeamus, eosq; à nobis fugemus, in absolutionibus rigidi, in reprehensionibus asperi, & in pœnitentia iniungenda intolerabiles. Aduersus diuites autem, & mulieres viduas, aut coniugatas aliter procedentes, paruula aut nulla indicta pœnitentia,

tentia, sæpè etiam absq; auriculari confessione, sola schedula consignatorum errorũ inspecta, grauissima eis peccata remittamus, exigendo à quolibet Pœnitente confessionem generalem, licet à Deo non mandatam, haud minus tamẽ animarum saluti necessariam, vt naturalibus Pœnitentium inclinationibus detectis, peccata eorum conformiter iustificare, atq; his rebus vti eis ac frui permittere liceat, quas alii Religiosi nunquam concesserint. Magnam verò illam patientiam, quam imbecillis Mulierũ animis à scrupulis & superstitionibus, quibus naturaliter subiectæ sunt, expurgandis sustinemus, Maleuoli malitiosè interpretantes, Nos cum illis aiunt, longis & frequentibus solere vti alloquiis, quibus ita mediãtibus, quidquid desiderauerimus modò, ab ipsis obtineamus, & silentio earum sanctissimis Sacramentis cõfirmato, illis nos spirituali matrimonio deuinciamus, in id incumbentes, vt vbiq; veluti examina Vrsularum, Clericatarum, Diaconissarum appareant: quibus etiam in casu magnæ cuiusdam necessitatis vt sanctissima Sacramenta administrare posint, concedamus, idonea ad hoc inuenta à nobis repræsentatione, per quam licitum illis sit, loco hostiæ apprehendẽdæ, toreuma quoddam consecratum & ad formam AGNI DEI effigiatum Sororibus in cõuenticulis suis osculandum porrigere: quo ipso eas vinculis hisce nostris inuicem coniunctas, encamus, & sanctæ Sedi in casu politicæ rati-

ſtentiæ ſtrictiſsimè obligatas, in tantum, vt hæc eorum deuotio in ſecreto habeatur, atq; ipſos etiam maritos, parentes, liberos & alios conjunctos lateat. Id ꝙ ſumma vtilitate, emergẽte non ita pridẽ occaſione vſurpatũ quidem fuit, tandem tamen aliqua ex parte in lucem prorupit ob penetrantem æmulorum noſtrorũ ſagacitatem, & ſimplicem deuotarum iſtarum animularum confidẽtiam, ab oraculis conſiliorum noſtrorum longè diſsitarum, & neceſſario fragilitatis ſuæ fulcro priuatarum. Ceteroquin, vbicunq; etiam commoremur, non eſt quòd metuamus, ne actiones noſtræ vnquam propalentur: ſiquidem cum Magnatibus duntaxat commercium habeamus, à quibus, præter cotidiana honoraria, omne publicum ſecretum cognoſcimus. Ita fit, vt vel proprius honor ipſis os occludat: contrario planè modo, quàm aliis Religioſis vſu venire ſoleat: qui ſine diſcrimine cum quolibet conuerſantes, abſq; ſanctis hiſce artificiis difficulter poſsint fragilitatẽ ſuam occultare. Verùm etiam hæ nebulæ facilè diſsipari queunt: quoniam & has, & omnes alias operationes noſtras cum myſterio peragimus: quandoquidem in pauperem plebeculam non ea cedit peccatorum qualitas, aut grauitas caſuum, ad quorum reſolutionem opus ſit ſingulari & exacto intellectu, aut diſcurſus profunditate: ſed delicta illa vulgares quidam errores ſunt & conſueti. quibus cùm à quouis Fraterculo ſatisfieri poſsit, ingratũ ſanè diui-

diuinæ maieſtati fuerit, ſi elaboratæ operæ noſtræ in his inutiliter conſumerentur. Et quamuis confitentibus nobis, aſperos nos atq; ſeueros exhibeamus: tamen hoc non ad repellendos eos fit, ſed vt ordinariorum ſiue conſuetorum peccatorũ pertæſi à grauioribus abſtineant. Id quod diuitibus non vſuuenit: qui ob facultatum & negotiorum publicorum, in quibus verſantur, tractationem, multis ſcrupulis & dubitationibus periculoſis ſunt ſuppoſiti: ideoq; in magnam animarum ipſorum vtilitatem vergit, ſi à Viris doctis & ſapiẽtibus, prout ſunt Patres noſtri, examinentur & corrigantur. qua de cauſſa libenter eos ad Eccleſias noſtras recipimus, & leniter tractamus, ne ad deſperationem adigantur, ſed potius, vt ex opibus illis, quæ ipſis peccandi cauſſam præbuerunt, largas Eleemoſynas Domibus & Eccleſiis noſtris facientes, & cœlum lucrantes, à via, quæ eos ad infernum ductura erat, declinent. Sic & aduerſus feminas, propter ſexus fragilitatem mitè & absq; rigore procedimus: &, quò facilius eos ad diuinorum præceptorum obœdientiam perducamus, res quædam parui momenti iis permitti ſolent, dummodo id quod res eſt cognoſcentes, tanquam creaturæ Dei, debitas ei gratias reddant. Sed neq; ab his aut illis confeſſionem generalem exigimus, vt appetitui illorum obſecundemus, ſed potius, vt praui illi affectus, & malæ inclinationes naturæ, detegãtur: quibus poſteà cum diſcretione, & quidem

ſuam cuilibet ſingulatim medicinam applicamus; non verò, vt veteres illi Religioſi, omnibus confuſim peccatoribus idem remediũ adhibemus. Modus profectò ſalutaris, & à Deo, ad exaltationẽ fidei ſuæ, nobis reuelatus! cum quo detectis etiam animis reſolutis & fortibus, multoties eos, mediante Camera Meditationum noſtrarum (quarum ſecreta reuelare non eſt licitum) ad internecionem hæreticorum & inobœdiẽtium inimicorũ ſanctæ Sedis Romanæ conſultò exſtimulauimus; & quidem non priuatorum tantùm, verùm etiam magnorum Principum & Regum; heroicis iſtis factis boni illius Aodi, de quo in ſacra Scriptura legitur, figurā repræſentantes, & immortali cum laude congregationis noſtræ, ſedes Paradiſi Sanctis atq; Martyribus complentes. Cui rei teſtimonia eſſe queunt multæ effigies, quæ variis typis æneis paſſim videntur impreſſæ. Et ſanè quilibet commemoratorum virorũ atq; mulierum de ſanctiſſimis Sacramentis non alibi, quàm in noſtris Eccleſiis debebat participare, & confeſſionem exercere: vbi præter facultatem & priuilegia, quibus à qualis culpa quilibet expiari poteſt, à ſummis Pontificibus conceſſa, facilem habituri eſſent modum animas ſuas ſaluandi: modum, inquam, à nobis inuentum, qui in propriæ ſolummodò voluntatis priuatione, & in hoc conſiſtit, vt abſq; laborioſa requiſitione alterius, ſequaris eius præcepta, qui propter te ſtudiis inſudat & defatiga-
tur;

tur: id quod Patres hi spirituales faciunt. Et quidem omne peccandi periculum hoc modo tollitur, non viso aut cognito ab aliis Religiosis: qui in veteri illa simplicitate educati, dum Pœnitētes suos in libertate illa relinquunt, parum semper profecerunt, atq; etiamnum proficient. Ac licet à Politicis, atq; aliis mundi huius sapientibus hæc nostra doctrina hæresis dicatur: non tamen hoc illorum dicterium in vllam considerationem trahendum est: cùm videamus illam ab Episcopis, Cardinalibus, & omnibus Pontificibus esse approbatam. Et vt concludam: quod plus, quàm vlla res alia eos releuat, qui Ecclesias nostras frequentātes sanctam istam obœdientiā amplectuntur; id verò est, quòd participes fiunt innumerabilium meritorum, quæ diuina Maiestas sufficientia esse iudicat non solum ad tollendum delicta iam præterita, sed & ad cancellandum vel annihilandum ea, quæ inposterum committi possent, & ad redimendum quamcunq; animam, quæ ad Purgatorium fuerat condemnata. Nolim verò te vereri, ne commemorata commoda & honores sectaturus in difficultatē aliquam offendas: quandoquidem viæ, quæ in Societate nostra ad eos ducunt, ita tritæ, & tanta cum prudentia accōmodatæ sunt, vt quilibet, absq; vacillatione vlla, eorum obtinendorum atque fruendorum spem habere possit. Ibi enim assiduè de Verbis & Rebus tractatur: & quicquid vel publicum vel priuatū ad aures nostras per-

uenerit, de eo consultatur: nec quisquam vlli rei vnquam adhibetur, nisi examinata prius natura eius, & perpenso talento eiusdem à Patre Generale (qui omnibus exploratis signa & notas exquisitè distinctas habet) aptus ad eam perficiendam deprehendatur. Admonito postea illius, quod hoc vel illo die dignum consideratione occurrit; detegitur id ei familiaribus colloquiis nostris, aut per confessionē nobis deuotorum. De eo namq; conferentes inter nos, & litteris à collegio ad collegium scriptis, ei quod sequuturum est, aut sequi poterit, anticipando semper obuiamus, in quemcunq; casum præparati. Eiusmodi consultationibus, aut collationibus, quibus nullum dubium remanet indecisum, Seniores & sapientissimi, quos habemus, Rectores assistunt: qui in quauis materia quàm maximè versati definiunt, quo modo viris & mulieribus, viduis aut maritatis, obsequium & beneficentia erga collegia, & particulatim etiam erga nos ipsos debeat persuaderi, quo modo itidem Paradisi iter sit ingrediendum, & qua ratione Principium gratiæ quis insinuetur, quibus mediis voluntas eorum captetur, & quibus in possessionem animi & opinionis Populorum perueniatur.

Laborent sanè in hoc inimici nostri, cœlestis voluntatis ignari, & obloquantur, Nos hisce regulis & rationibus damnum priuatorum

domi-

domibus & Principatibus huius mundi adferre. Alii quidem; dum asserunt Nos rerum horribilium commemoratione, quas simplicioribus pro concione in templis, & domi animam iam exhalaturis ingerimus, nosmet ipsos & collegia nostra ditantes, debita hereditate liberos & parentes eorum spoliare. Alii verò; quòd simulata quadã seruitute Principes Christiani ad instantiam Ecclesiasticæ Maiestatis, fidei nostræ se committentes, imprudentibus consiliis quandoq; eò redigantur, vt & statum & vitam perdant. Singularem quoq; pietatem illam, quæ pro auctoritate sanctæ Sedis dilatanda exercetur, improbi illi Politici traditionum & rebellionum à nobis perpetratarũ nomine denigrantes, mundo exosam reddere fatigentur sanè, affirmantes scilicet, prædicationes, & diuitiarum atq; laudum præmia, ad hæreticos exstirpandos à nobis inuenta, proditorios esse modos aduersus Principes, & voces adulatrices, quibus veluti sanctitatis & Martyriorum inuolucro quodam parricidia obtegamus. Exclament, sed falsò, Nos per has ipsas destructionum vias, contra veram Iesu fidem, Iesuitarum nomẽ mereri, per quas Scipio Carthaginensium Imperium euertẽs, Africani nomẽ sit consequutus. Ceterùm re tota, prout decet, cõsiderata liquet, pro peccato istud nequaquã haberi posse, sed veram demùm pietatem esse, quæ in Catholicæ Romanæ Ecclesiæ com-

modum, animarumq; ei deuotarum seruitium resultat. Inprimis enim non inconueniens est, vt pater propriæ salutis gratia filium, & cognatus cognatum hereditate priuet: eò quòd ex Euangelica doctrina quilibet animæ suæ magis, quam patri, matri, aut liberis sit obligatus. Atq; ita opus quoq; erit meritorium, si subditi eius principis, qui de Iurisdictione sua, & cōmodo subditorum magis, quàm animæ salute solicit⁹, Pontificiis præceptis obœdire recusat, fidelitatis iuramento exsoluantur, iisdemq; significetur: quandoquidem ipsimet se regere nequeant, vt alii principi Catholico, qui quidem obsequens sit aut Romano Pontifici confœderatus, adhæreant. Ac si propter inobœdientis illius principis potentiam & robur ad eiusmodi apertas declarationes perueniri non poterit: tum Legibus Canonicis & sanctissimis Decretalibus minimè erit contrarium, occultè eum, peccatorum absolutione aut præmio interfectoribus proposito, è vita tollere: asserente id ipsum etiam doctissimo historico nostro Iohanne Mariana, in quodam tractatu suo ad magnum Hispaniarum Regem: vbi venena, & horum compositiones, tanquam tutissima media proponens, concludit, in eum finem ipsa venena ita præparata cuilibet bono Catholico semper debere esse in promtu. Et in sacrosanctis Bibliis exemplo Ieroboam & aliorū legitur, quàm grauiter Reges & Populi dilecti à Sacerdotibus & Prophetis, propter inobœdi-

entiam


entiam fuerint caſtigati. Quinimò maximam in Populi vtilitatem ceſſurum eſſet, ſi peſtifero ſemine Politicorum ſublato, & temporali Dominio cum ſpirituali coniuncto, ſolummodò à nobis Eccleſiaſticis regerentur & gubernarētur: ſic enim maiori cum pietate forent tractati. Atq; hic mentis conceptus, à Patribus noſtris vbique locorum prædicatus, non minus, quàm articulus fidei debuerat obſeruari: quādoquidem alii quidem ſtertant, nos autem pro ſalute eorum ſemper vigilemus. Ac quoniam animo tuo iam maxima ex parte conſtare opinor de prudentiſſimo Regimine, aut Republica noſtra, nunquam à Philoſopho aliquo tam perfectè deſcripta, ſed à celebri illo Ignatio Loiola miraculosè fundata: qui anno 1521. Caput exercitus Caſtiglionei in Panpelona cōſtitutus, cùm Excommunicationis Iulii Secundi vim contra Reges Galliæ & Nauarræ ſuſtentaſſet; virtute illa ſua exſerta, & corporis toleratis plagis, dignus à Deo fuit æſtimatus, vt etiam Caput & inſtitutor eſſet Societatis huius erigendæ, quæ ad ipſius exemplum & nunc & in perpetuum, defenſionem & exaltationem auctoritatis Eccleſiaſticæ & Romanorū Pontificum debeat continuare. Igitur hoc quoq; ſcire te volo, quemadmodum multæ Bonis viæ hic apud nos patent ad laudabilium actionum ſuarum præmium adipiſcendum: ita etiam in puniendis delictis multa nos circumſpectione vti: & cùm alii pœnis illis conſpicuis & corpo-

tis afflictiuis, proprios defectus mundo prodant, Nos iuxta Euangelicum præceptum à ſcandalis nobis temperantes, ſubitis & ſecretis Oſtraciſmis, aut verò honeſtis & longinquis relegationibus, quoſuis errores expurgare: de quibus poſteà, ſub grauiſſimi peccati pœna, aduerſus neminem & nullo omninò tempore licet mentionem facere; ſed æqualiter & perpetuò de omnibus benè loquendum. Ac vt ſummatim dicam, nihil omninò eſt, quod te remorari debeat: ſiquidem omnia, quæ primo quidem adſpectu difficilia & infeſta videri poſſunt; tamen ponderando & cogitando tecum, quàm apta ea ſint ad honorem & commodum Patribus & filiis Collegii noſtri conciliandum; talia ea deprehendes, vt quemlibet inuitent ad cogitationes ſuas eò dirigendum, quomodo particeps horum fieri queat. Optarem ſaltem, tantò te tempore nobis videndum præberes, quantum ſufficiat ad detegendum, quæ commoda & quæ ſuauitas, ſub rigido, ſed ſancto illo Religionis zelo reperiatur: ſingulariter verò honores & voluptates, quas in humilitate iſta & vitæ exterioris abiectione, Filii Domuum & Collegiorum noſtrorum percipiunt. Certus enim ſum, te mutato conſilio, quàm primum tibi propoſiturũ eſſe, ſubitò ad nos redire. Et niſi vererer aliqua ſcriptis committere, atq; id quod verum eſt, pro hyperbolé accipi; demonſtraturus tibi eſſem, quomodo Eccleſiæ noſtræ Veri nidi ſint ſpiritualium oblecta-

lecta-

lectationum; & Domus atq; Collegia nihil aliud, quàm Tabernæ sanctissimæ cuiusdam vsuræ, in quibus is, cui intrandi facta fuerit potestas, modum inueniat omnẽ affectum absq; scandalis euomendi, & sine sorte vlla, maximas commoditates, non mediocribus cum diuitiis acquirendi; quas inuicem possidere, iisq; vti frui queamus: sicuti ipsemet quoq;, cum solenniter professus à turba aliorum, quæ simplici tantùm voto adstricti sunt, te subtraxeris, & absoluti illius imperii atq; auctoritatis Primatum nostrorum & exinde etiam cultus atq; obsequii particeps fueris factus, re ipsa cognosces. Quamuis autẽ hæc quæ ad te nunc scribo (maximam enim eorum partẽ consultò iam taceo) verè ita se habeant: quia tamen ex ipsa praxi ea desumta sunt; commodius sanè fuerit, si coràm & te præsente pluribus hoc fuerim prosequutus, loca tibi digitis ostendendo, & in rem præsentem te ducendo. Tu itaq; animo te cum euoluens ea, quæ tibi à me narrata sunt, intelliges, quãto sincerior sit amor hic meus illo adulatorio, quo miserè es inescatus: quamquam illum etiam ex aliis humanissimis officiis meis tibi perspectum credo: maximè verò cùm in teneriore ætate tua, protectione mea oblectat⁹ Domum hanc nostram frequentares: egoque Iuuentutis tuæ custos constitutus omnium cupidissimus, ipsis Patribus & Fratribus capitalis factus sum hostis: neq; vnquam permisi, vt vel obtutu, nedum manibus illis immorigeris, vti

nunc fit, iuuenilis illa ætas tua tangeretur aut contaminaretur. Quod ſi licentius quandoque tecum, quàm par erat, fui iocatus: permiſſum id fuit artificium in Collegiis noſtris, eo quaſi dulcore diſcipulos adſuefacere, vt & promtius præceptoribus obœdiant, & ſtudiis diligentius incumbant. Impulſus præ-tereà ad hoc fui nimio illo amore, quo ſalutis tuæ cauſſa erga te ducebar, atq; etiamnum ducor; non autem eo fine, vt te offenderem, aut contumelia afficerem. Sit itaque iam finis tantæ tuæ abſentiæ, & inſtar filii illius prodigi ad Patrem tuum ſpiritualem & Magiſtrum reuertere. Recordare, te mortalem eſſe, & extra hunc Societatis noſtræ numerum paucos, aut fortè neminem ſaluari poſſe. Imple vota & promiſſa: & peccatum tuum cognoſcens, Dei vindictam effuge.




SALVVS-CONDVCTVS IESVITARVM.



RANCORVM Bellona ferox cũ linqueret arua,
Laurigeræ Paci cedere iussa locum,
Pro meritis Dea cuique dedit sua symbola amoris,
Præmia militibus distribuenda suis.
Ante omnes socios speciali affecit honore
LOYOLÆ, (immeritò nec Dea grata fuit,
Gens ea plus reliquis, plus quàm feralis Erinnys
Præstitit, in Dominos tota animosa suos.)
Conductumq; dedit saluum loca cuncta adeundi,
Et Phlegethontæi regna tremenda Iouis.
Hoc dono lætata magis quàm munere Olympi
Turba fuit, patrias quod datum adire domos.
Sed simulac Stygias tandem penetrasset ad oras,
Terribilis tristi vox Acheronte data est:
Hinc fuge dira lues, qua nil truculentius vnquam
Exstitit, hîc tutò non licet esse tibi.
Imperat hic solus Mundi aduersarius, at tu
Non solum Mundi, ast antagonista Dei.
Ille timet Dominum rerum cui summa potestas,
At tibi non hominum cura, nec vlla Dei.

Nullum ipsi quamuis tecum certamen, at ille
Intereà socios nec patitur Dominos.
Ergo aliò tua sceptra, aliorsum dirige gressus,
Solus enim Sathan hic sua regna tenet.
Quin potius summa vi PVRGATORI *honores*
Atque noua Imperii sceptra tuere tui.
Illic & titulos, fascesq; & nomina Regum,
Erigere haud vllo te prohibente potes.
Surgat ibi Imperium longis quod floreat annis,
Semper ab inuidia tute remotus eris.
Quicquid vbique vides Domini est, tellusq; polusq;,
Infera sed soli sunt data regna mihi.
Quod reliquum est, totum cedat tibi, respice maior
Et melior quanto sors tua sorte mea est.



ADMONITIO ad Regem Christianissimum HENRICVM IIII. SVPER RESTITVTIONE Iesuitarum.

FRANÇORVM sūmas qui nūc moderaris habenas,
Iuraq; Francigenis summa cum laude ministras,
Inclyte Rex, sit pace tua mihi pauca referre
Concessum, facilisque animo mea dicta reconde,
Vera canam, liceat tantum mihi dicere vera.
Tertius HENRICVS, *cuius nunc sceptra tueris,*
AVGERIVM *coluit patris instar, eique salutem*
Credidit, & summo semper veneratus honore est,
Ignorans quòd CHRISTE *tuum qui nomen vbique*
Et vitam iactent, studia in contraria currant:
Tantum sæpe valet sanctæ simulatio vitæ.
Sed postquam sese falsa sub imagine recti,
Mendacique diu pietatis fallier vmbra
Sensisset, moresque tuos IVDAITA *notasset,*
Tandem pœnituit: Quis enim mage crederet illis,
Nomine qui CHRISTI *scelera atq; piacula velant?*
Queis magis in votis nihil est, quàm nomine SANCTI
FOEDERIS, *è soliis Dominos depellere auitis,*
Et Reges iugulare pios, populumque fidelem
In proprios animare Duces, & ad arma ciere,

Sceptraq; Francorum raptori tradere IBERO,
Cunctaq; terrarum PAPÆ *submittere habenis?*
Nec satis impune est scelera hæc committier; ipso
Instinctore Deo fieri, numenq; supernum
Iratum posse haud alia ratione moueri
Vnanimes vno ore canunt, scelerumq; magistros
Et percussores Regum, cælumq; mereri,
Deberiq; Deo toties repetuntq; docentq;,
Indigetesq; vocant Regumq; Ducumq; latrones.
Quæ m sint vera equidē nosti Rex maxime, nosti,
Si meminisse voles, neque longè exempla petenda:
Intus habes, nam tu, vel nemo, conscius horum
Esse potes, si vel dentis, vel cetera vitæ
Tempora perpendas; vix, nec vix tutus in aula
Nunc hodie es, licet ipse sacros amplectere PAPAS,
Et veluti primus dicaris filius esse.
Præteriti memor esto, animoq; futura reuolue,
Si potes, atque tibi sit LVSITANICVS HEROS
Perpetuo exemplo. Quis enim maiore adamauit
Progeniem hanc zelo, similiq; affecit honore?
Qua mercede? iacet Regno spoliatus auito,
Et procul à patria peregrinis casus in oris
Consilio IVDAITA *tuo deceptus & arte.*
Hæc benefactorum merces, tantiq; fauoris
Præmia sunt scelerata lues, hæc gratia Regi
Reddita pro meritis. Sed quemnam seruit in vsum
Hæc dixisse tibi toties, eademq; referre,
Si mens certa manet tristes reuocare Sinones,
Harpyiisq; animarum antiquas reddere sedes,
Atq; iterum innumeris Regnum obiectare periclis?
Quid iuuat ad surdas facere irrita verba procellas,

Et

Et frustra infandum toties renouare dolorem?
Sæpe adimit mentem summi Moderator Olympi
Principibus, meritis statuit cùm plectere pœnis
Et Regem populumq; suum non æqua ferentes.
Si te fortè putas hinc terq; quaterq; beatum,
Induperatorem quia te IVDAITA *salutat,*
Quodq; tuas vires lateq; patentia sceptra
Prædicet, atque tuas in laudes ora resoluat:
Falleris ô Princeps scelerati fraude COTONIS.
Cantando pariter teque & tua perdere Regna
Iamdudum ille parat, nec enim noua crimina tentat
Antiquus scelerum structor, doctorq; Magiæ.
Nonne vides nil posse prius neque sanctius esse
Mancipiis PAPA, *Stygii quàm iussa parentis*
Fraude doloque pari ad decretum ducere finem?
Respice quid statuant: te solo nomine Regem
Et titulo tenus; at proprio nil iure potesse,
A Patre latronum nisi sit concessa potestas,
Quem penes arbitrium faciunt Regnique tuique.
Sic te, quẽ Regẽ & Dominum Rex maximus vnxit,
Hac lege agnoscũt, PAPÆ SI IVSSA MINISTRES.
Quo sine nulla tuis reuerentia debita sceptris:
Qui (modo sic libeat) peregrino tradere Regna
Vestra potest, Dominoque alii committere habenda.
I nunc, rursum illas recipe in tua regna Cicadas,
Materiamque nouam Vertumnis præbe nocendi,
Sanguinis effusum haud satis est: si forte furores
Et rabiem illorum validis cohibere lupatis
Concessum esse putes specie lactaris inani,
Nequicquam tui prætendis robora Regni,
Nil prodesse queunt Regalia sceptra, tuorumque

Auxilia Herorum, forteśq; in prœlia dextræ:
Obstricti remanent specialis nomine VOTI,
Quod violare nefas vel cum discrimine vitæ.
IVSIVRANDVM *ipsum, si* VOTO *fortè repugnat.*
Seruandũ esse negant. Quid enim magis esse profanũ,
Aut mage turpe potest, quàm sacris ludere pactis,
Vinclaq; diuini violare sacerrima iuris?
Tantáne at impietas à tanto Rege ferenda est?
Scrutare ipse, licet: (nec enim nisi iusta requiro)
Quid IVDAITA *paret, penitusq; introspice, & omnes*
Doctrinæ partes, vitæq; euolue recessus:
Aspicies nitida veluti depicta tabella
Inclyta gesta Patrum, (qui falsò nomen IESV
Præfigunt fronti, titulisq; illustribus ornant.
Quo mage sancta cohors, mage quo venerãda propago.
Occultis studiis, & multa callida fraude
Prælucere aliis, vulgoq; imponere posset.)
Et quæ præterea non vllis cognita seclis
Occurrent, Rex magne, tibi, & mea dicta probabunt.
Non vnquam euomuit magis execrabile monstrum
Tartarus immitis, non pestis amarior vlla
Christiadum terras corrupit & infestauit.
Non scelus admissum est IVDAITIS *inde remotis:*
Singula quid referam? Quis enim scelera illa referre
Ritè queat, quibus est inuisa propago referta?
Immunes operum, contemptoresq; sacrorum,
Impuri, immites, scelerati, & dira luporum
Semina sunt, agni celantes vellere virus,
Et Stygiis genitore sati qui præsidet vmbris.
Certior est aliunde fides. propria inspice tantum
Scripta Patrum, arbitrio stabit sententia vestro,

Ipsa licet voluas operosa volumina sancti (tronus
RICHOMEI, summus IVDAITARVM esse pa-
Qui modo sustinuit multis è millibus vnus:
Suq; comes MARIANA, illisq; adiunge COTONEM;
Omnia cognosces, propriisq; docebere libris.
Non aliunde decet quàm sint hæc vera probari.
Insuper ah faciet miseranda Ecclesia cunctis
Gallica nostra fidem, quæ nunc sub pondere vasto
Vix animam trahit innumeris oppressa statutis,
Seruitiumq; tuosq; Esauita exosa furores,
Antiquæ deflet proh Libertatis honorem.
Aurea Libertas, sic, sic calcabere? sicne
Illa tibi frœnum iniiciet IVDAITICA pestis,
Vltima fex hominum, Cacodæmonis excrementum,
Quo nil terra tulit peius nec fœdius vnquam?
Ergone Libertas, quam tu LODOICE tuorum
Virtute, & proprio peperisti sanguine, nobis
Eripienda data est? Ergo hac tibi lege relictum
A proauis, tritauisq; tuis BORBONICA proles
FRANCORVM Imperiũ? tandem circũspice, tandẽ
Erige te, rursumq; antiqua imitare tuorum
Gesta patrum, priscosq; atauorum respice honores.
Cessatum satis est; sanam tandem arripe mentem,
Atque animo perpende tuo, tecumq; reuolue,
Officium præstare pium, ciuisq; fidelis,
Qui quantum in sese est, pro Libertate tuenda
Prospicit Imp[illegible], & Regi sua iura reseruat
Integra, quiq; [illegible]t, ne quid Respublica damni
Accipiat, priscove suo viduetur honore.
Contra etiam vestrum esse puta curare subinde,
Ne quid forte noui perturbet publica rerum

Commoda, ciuilesque ciat mala factio motus,
Sic poteris Rex esse diu, populoque praeesse,
Quem diuina tibi commisit cura regendum.
Ergo si quis amor, si te qua cura fatiget
Imperii, populique tui, propriaeque salutis,
Ne temere admittas inferno Acheronte remensam
Progeniem, rursumque caput, regnumque tuosq;
Obiice mille malis, quibus haud virtute resisti,
Nec telis, armisve potest; sat viximus eheu
Pestiferis agitati odiis, scelerumque referti,
Conuenit haud aliunde nouis accersere terris
Foedifragos, tenerae deceptoresque iuuentae,
Sat natura mali per se corrupta ministrat. *(dieq;*
Cuinam hominum ignotum est IVDAITAS *nocte*
Nil meditari aliud, quam qua ratione modove
Prisca statuta queant patriasque euertere leges,
Inque locum, antiquis totum in contraria, nobis
Iura dare, & sanctos priuata ad commoda ritus
Flectere, nulli vnquam quod post mutare licebit?
Et te dein placitis cogent subscribere, teque
Pro libitu ad nutum ducent, decretaque condent
Duratura magis quàm quae sculpuntur in aere,
Aut quae Dalmatico fulgent incisa metallo.
Det Deus omnipotens, penes est quē summa potestas,
Inclyte Rex, ne tu, deceptus fraude COTONIS,
Melliti alloquio capiare, aequamque remittas
Iram, animumque tuum iustas qui exarsit in iras,
Et poenas merito scelerata a gente poposcit.
Sufficiat lacrymasse tuos, poenasque dedisse
Francigenas toties, dubium haud quin postmodo nobis
Plura ferenda manent mala, quā quae sensimus olim,

Aucto-

Auctores scelerum rursus si in viscera regni
Admittas, facilisque illorum audire querelas
(Vt fert fama) paras, priscoq; in honore locare.
Parce tibi, nobisq; simul, communia vtrosque
Fata manent, prohibe instantem subitamque ruinam
A regnis populisque tuis, nam te sine Ranis
Permissum nihil, At crimen fautore leuatur.
Quid iuuat à vitiis Regnum purgasse, suaque
E ditione procul sceleratos inde potenti
Eiecisse manu, propria si denique culpa
Restaurentur, & in multo maiore habeantur
Respectu? è quibus heu lateri constanter adhæret
Alter, ita excultus magicis virtutibus, vt se
Scire canat quæ vos semper fortuna manebit,
Sic mentem atque oculos obiectis fascinat vmbris
Viribus inferni pollens & fraude parentis.
Alter ita est fidens, tantumque pudore remotus,
Defunctum vt Regem, serpente nocentior omni,
Non dubitet scriptis proscindere, & interea illi
Hoc impune licet, nullo cohibente furores.
Quo tandem erumpet monstrosa licentia? Reges
Sicne licet lacerare sacros, mortemque minari?
Iam, iam tempus erit Regū Rex maxime, mentem
Dirigere huc, populumque tuum, regnumque tueri.
Quo res nostra loco, quæ sit fortuna videmus:
Vester honos agitur, mundi pulcerrima tellus
Opprobriis vexata iacet, reliquisque pudori
Gentibus est, miserere tui, miserere tuorum,
Iura patrum, ritusque sacros, legesque atauorum
Restitue, afflictæ sua da medicamina genti,
Non indigna peto, propriam quoque respice famam,

Et nomen regale tuum, titulosq; decoros,
Ne tua ROMA *salax, manibus post terga reuinctis,*
Colla premat, priscoq; tuo te fraudet honore.
Perpetuum Imperium, longæuos Nestoris annos,
Deniq; cælestem requiem tibi quisque precatur
Inclyte Rex, & ne videar mutescere solus,
Hæc eadem tibi vota fero, & quia dicere coram
Non mihi concessum est, fungatur epistola nostro
Officio, & tutum teneant mea carbasa portum.
Præterea hæc nostris accedant vota tabellis,
Finibus vt Regni IVDAITAS *pellere* CHRISTI
Nomine digneris, regnisq; auertere pestem,
Quam vestro, & populi capiti impendere videmus.
Haud incerta queror, nec quæ ventosa per orbem
Ventilat, indignis pascens rumoribus aures
Fama, tibi obtrudo, sed cunctis obuia, quæ non
Immeritò iniiciant Regi, populoq; pudorem. *(turba*
Non latet hoc quemquam, quantũ IVDAITICA
Afferat Imperiis tandem populisq; malorum:
Quo semel illa pedem fixit, torrentis ad instar
Cuncta rapit, viduasque opibus, domibusque potentes
Exuit, & fama, & titulis defraudat auitis.
Nec satis hoc, Regna euertit, penitusque superbis
Deiicit è soliis Reges; quis talia demens
Vlterius perferre queat? si exempla petantur,
Scilicet haud opus est peregrinos voluere fastos,
Scriptaque maiorum sedulo scrutarier: ipsa
Tempora nostra dabunt quæ nos meminisse pudebit,
(Si pudor vllus inest;) quid enim non ante malorum
Perpessi sumus? ah! quos non fœdauimus amnes
Sanguine, & infestos miserè satiauimus hostes!

Impius


Impius intereà grassatur Barbarus, & nos
Turca ferox ridet, miseranda Ecclesia iustas
Vix lacrymas retinere potest; eheu, vbi prisca
Relligio, sanctique patres, atq; inclyta Regum
Gloria, quo tandem miseri peruenimus? ah quæ
Quæ non pertulimus, quæ non ventura timemus!
Serius hoc vidit, vidit tamen, vltimus HEROS
VALLESIÆ stirpis, qui quamuis se esse putarat
Delitias PAPÆ, primasque in amore tenere,
Nil minus interiit sica violatus iniqua.
Ne tibi quid simile ah vereor, Deus omen auertat.
Qui semel euasit scopulos, Scyllamque voracem,
Neptuno monstrante viam, ventisque secundis,
Naufragus immerito fluctus incusat & imbres
Immitesque Deos pelagi, sæuamque Charybdim,
Neglecto custode Deo, si incauta carina
Obruitur, tandem & sterili sepelitur arena.
Stabat Roma potens, & adhuc cum laude superbis
Ius dabat Imperiis, cùm prudentissimus Heros
Occasum interitumque CATO prædiceret, eheu!
Det Deus ô Princeps similis quandoque ruina
Ne subeunda detur Regi miseroque popello,
Insidiisque dolisque & iniqui fraude COTONIS.
Hic sermo mellitus & hæc dulcissima verba,
Ille quibus vestras, Rex maxime, detinet aures
Incantator atrox, magico sunt plena veneno,
Permittente Deo: qui, quando imponere finem
Imperiis statuit, meritasque exposcere pœnas,
Iudicio, sensuque omni Regesque Ducesque
Exuit, & tandem populum cum Rege relinquit.



IN IESVITAM COR REGIS HENRICI IV. petentem.

QVEM nō mille manus, nō mille pericula mortis
Quem nec & insidiis sternere quiuit Iber,
Quem nequiit Mars ipse ferox, fera sica peremit,
Sica HENRICORVM *sanguinolenta nece.*
Scilicet occubuit scelerata fraude petitus
Arte, dolo, insidiis Rex, IVDAITA, *tuis.*
Quid sceleris latuit tanti sub corde Monarchæ,
Vt scelerate tuo vulnere concideret?
Sedibus eximiis te, & rursum in honore locauit,
Diuitiisque auxit, muneraque ampla dedit.
Et plus quàm par est, & spe maiora tulisti,
Gratia pro meritis hæc referenda fuit?
Vt cumulo adiiceret, proprio te CORDE *beauit,*
Quid maius proprio quis dare CORDE *potest?*
Nunc cape COR *toties à te mucrone petitum,*
HARLÆVS *votis annuit ipse tuis.*
Sed pariter cum DENTE, COR *vt referatur eodē,*
Non sunt diuersis contumulanda locis
Quæ Natura simul iunxit, quæ Parca reuulsit,
Vsa instrumentis pestis amara tuis.

FINIS.



IN IESVITAM COR REGIS HENRICI IV. petentem.

QVEM nō mille manus, nō mille pericula mortis
Quem nec & insidiis sternere quiuit Iber,
Quem nequiit Mars ipse ferox, fera sica peremit,
Sica HENRICORVM *sanguinolenta nece.*
Scilicet occubuit scelerata fraude petitus
Arte, dolo, insidiis Rex, IVDAITA, *tuis.*
Quid sceleris latuit tanti sub corde Monarchæ,
Vt scelerate tuo vulnere concideret?
Sedibus eximiis te, & rursum in honòre locàuit,
Diuitiisque auxit, muneraque ampla dedit.
Et plus quàm par est, & spe maiora tulisti,
Gratia pro meritis hæc referenda fuit?
Vt cumulo adiiceret, proprio te CORDE *beauit,*
Quid maius proprio quis dare CORDE *potest?*
Nunc cape COR *toties à te mucrone petitum,*
HARLÆVS *votis annuit ipse tuis.*
Sed pariter cum DENTE, COR *vt referatur eodē,*
Non sunt diuersis contumulanda locis
Quæ Natura simul iunxit, quæ Parca reuulsit,
Vsa instrumentis pestis amara tuis.

FINIS.



IN IESVITAM COR REGIS HENRICI IV. petentem.

QVEM nō mille manus, nō mille pericula mortis
Quem nec & insidiis sternere quiuit Iber,
Quem nequiit Mars ipse ferox, fera sica peremit,
Sica HENRICORVM *sanguinolenta nece.*
Scilicet occubuit scelerata fraude petitus
Arte, dolo, insidiis Rex, IVDAITA, *tuis.*
Quid sceleris latuit tanti sub corde Monarchæ,
Vt scelerate tuo vulnere concideret?
Sedibus eximiis te, & rursum in honore locauit,
Diuitiisque auxit, muneraque ampla dedit.
Et plus quàm par est, & spe maiora tulisti,
Gratia pro meritis hæc referenda fuit?
Vt cumulo adiiceret, proprio te CORDE *beauit,*
Quid maius proprio quis dare CORDE *potest?*
Nunc cape COR *toties à te mucrone petitum,*
HARLÆVS *votis annuit ipse tuis.*
Sed pariter cum DENTE, COR *vt referatur eodē,*
Non sunt diuersis contumulanda locis
Quæ Natura simul iunxit, quæ Parca reuulsit,
Vsa instrumentis pestis amara tuis.

FINIS.